

ORATIONES DUÆ

De

VULPĒ CULIS

SCHOLASTICIS

Scriptæ & recitatæ in

Academia Jenensi

Die 2. & 3. Maij, A.O. R. 1614.

A


WOLFGANGO HEIDERO

M. Ethices & Politices Pro-
fessore publico.




TYPIS WEIDNE-
RIANIS.

16 14.
W (*) W
W



Fragmentary text visible on the left edge of the page, possibly from the adjacent page or a binding element.



II

D
RU
NO A
CRAN



corp
ban
fed
lita
mm

DEDICATIO.



Illustri & Generosissimo
DOMINO,
DN. HEINRICO
RUTHENO JUNIORI, DOMI-
NO A PLAVERN, DOMINO IN GRAITZ,
CRANICHPELD, GERA, SCHLAITZ, ET LOBEN-
STEIN, Domino suo clementi &
gratioso.

Illustris & Genero-
sissime Domine RUTHENE,
qui, quàm reliquos inter Ma-
gnates proceritate & robore
corporis, quibus olim imperia deferri sole-
bant, emines, tam omni virtutum genere,
sed in primis tamen benevolentia, & libera-
litate bonas in literulas, quæ fontes o-
mnium sunt bonorum, antecellis: in Scho-
lis, cui

DEDICATIO.

lis, cui vitæ nos mancipati sumus, non tantum eâ, quæ seria, & *ἑδισμέτων* similia, docere solemus, idque salutis & publicæ; & privatæ gratiâ, sed interdum & illa, quæ *ἡδυμέτων* instar habentia ludicra sunt, & jocosa interspergere, cum ut fessos studiosæ Juventutis animos honesta voluptate reficiant, tum ut iisdem & majorem ad discendi alacritatem incitamento, & faciliorem ad intelligentiam adminiculo, & fideliorem ad memoriam præsidio esse possint. Ego quidem hoc ipso ferè consilio pauculos ante menses duas de Vulpeculis scholasticis oratiunculas publicè recitavi, quas licet Aristarchi bibliosi, & Demæe morosi fortassè non approbatarum sint: iis tamen, qui omnium horum sunt homines, & Gratias Musis jungere didicerunt, neque res saltem agere graviores, sed etiam per vices ludere, & joculari possunt, eas haud ingratas fore confido. Illas cum in lucem dare videatur, id sub tutela

DEDICATIO.

Generositatis tuæ, quam subditi vehementer amant, vicini deprædicant, exteri mirantur, mihi faciendum censeo, & debitâ cum animi subjectione officiosissimè peto: hunc ut foetum propè abortivum, & abjectum tollere velis, & paullùm fovere ac defendere, ne impetatur invidiæ dentibus, & maledicentiæ unguibus lanietur. Ego contra sinistra de hac opellâ meâ, si quæ futura sunt, uti sunt futura, judicia hoc mihi solatii, quod Diogenicum, parabo. Si qui me cum Vulpeculis meis deriserint, illos ego per hujus argumenti lepôrem, & elegantiam tantoperè exhilarari putabo, ut ne quidem à risu cum Heraclito sibi temperare possint. Si qui verò frontem contraxerint suam, & nasum Rhinocerotis ostenderint, eos ego tam attentos, & aliarum rerum obliviosos inter legendum arbitror, ut extra se quasi rapti & positi videantur. Neque multum refert, etiamsi fallar, & spe frustrer meâ.

DEDICATIO.

Interim enim hac voluptate, quamvis imaginariâ perfruar, non absimilis illi, quo de Horatius in epistola ad Florum:

*Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire Tragedos
In vacuolatus sessor, plausorq; theatro.*

Vale quàm optime Generosissime Dn. RUTHE NE, Vive quàm diutissimè, nec nisi feliciter rem& publicam & privatam gere, in nominis divini, quæ lex nobis semper est suprema, honorem, in tuam ipsius gloriam, in sempiternum posteritatis incrementum, in denique nunquam desituram patriæ salutem. Jenæ die 20. Decembr. A. O. R. 1614.

Illustris Generositatis tuæ

Obsequentissimus & observantiss.

VWolfgangus Heider M.



P R O-



PROGRAMMA PUBLICUM.

Benevolo LECTORI

S. P.

DE Vulpeculis scholasticis, quas ita vocare moris est, duas Oratiunculas $\sigma\upsilon\nu\ \theta\epsilon\omega$ recitare constitui: priorem, in quâ illius animantis, & ordinis nostri discrepantia, die crastino: posteriorem, in quâ utriusque partis convenientia, perendie horâ nonâ matutinâ. Hic verò mirabuntur illi, & fortassè stomachabuntur, qui in scholis res gravissimas non leviculas, serias non ludicras, stuctuosas non infrugiferas explicandas, nec ad Vestæ pedes agenda Bacchanalia existimant. Verùm, consilii mei si causas exposuero, veniam haud gravatim mihi dabunt, & $\alpha\nu\lambda\iota\ \delta\omicron\sigma\sigma\upsilon$ potius,

tius,quàm ἀνιλύπησι, meditabuntur. Omnes
itaque cives Academiae nostrae, & bonarum
literularum, quas ἀγαθῶν ἀγαθίδας jure dixerim,
amicos officiosè rogatos volo: meas
ut Vulpeculas spectatum veniant, & ea me
dicentem benevolè audiant, quæ cœnis
Platonicis, aut hoc si nimium est, Silenis
Alcibiadis haud absimilia confido esse fu-
tura. Valete & vivite. P. P. Calend.
Maij 1614.

Wolfgangus Heider M.



ORA-

ORATIO I.



ALEXANDER MAGNUS, quem metum orbis terrarum, & flagellum iramque DEI non minus verè, quàm vel Attilam Hunnum, vel Tamerlanem Scytham dicere possumus, cum subegisset Indiam, & bonam orientis partem, quæ regio cum admodum temperata sit, & frugum saluberrimarum feracissima, semper ad hunc usque diem homines tulit ingeniorum acumine, literarum studiis, & omnis sapientia laude præstantissimos, qui se solos oculum habere geminum, Latinos saltem unicum, sed reliquas nationes omninò cæcutire, non falsò prædicare putantur.

Has itaque regiones cum Alexander occupasset, decem Gymnosophistas, qui Sabba defectionis auctores fuerant, & Macedones pluribus incommodis affecerant, suam in potestatem redactos ad se vocat, & singulos ad singulas questiones dubias, quas in medium positurus erat, respondere jubet, sed hac lege: ut pessimè qui respondisset primò, tum verò & ceteri, quod videbantur meriti, ordine quisque suo morerentur. Quin & arbitrum ex illis delegit etate maturum, qui singulorum de responsis sententiam ferret,

Plut. in
Alex. Bon.
fin. lib. 3.
decad. Sa-
bell. lib.
3. cap. 3.

Haithon
Armen.
cap. 1.

B

& ita,

Et ita, quo loco quisque capite foret multandus, quasi prescriberet.

Ex primo quesivit, pluresne putaret esse vivos, an mortuos? Respondet ille vivos, nec enim mortuos esse amplius.

Ex secundo, Majoresne belluas aleret terra, an mare nutriret? Terra, inquit Gymnosophista: cum ejus portio mare sit.

Ex tertio, quodnam animal omnium esset calidissimum? Id, ait, quod nondum homini cognitum.

Ex quarto, cur Sabbam ad defectionem impulissent? Hic ille, quia malebamus ipsum egregie vivere, quam ignavum mori.

Ex quinto, utrum dies an nox prior fuisset? Dies insit, prior fuit una die: quas Strophas cum Alexander capere non posset: mox idem frivola querentibus, frivola regeri oportet.

Ex sexto, quonam pacto quis late imperans maximam sibi conciliare benevolentiam posset? Tum hoc ille dat responsi: si fuerit optimus, neque formidabilis tamen, & metuendus.

Et septimo, qua ratione, qui mortalis, Deorum in numerum referri possit? Si humanis viribus opera majora gesserit.

Ex octavo, An vitam opinetur esse fortiorem, an mortem? Vitam ait hic dauidus, cum tot adversa & calamitosa perferat.

Et nono, quousque videndum esset homini? Donec mortem, inquit, vita potiore esse duxerit.

Tandem è decimo, qui judex erat, suscitatur, que re-

sponsa

spōsa deteriora forent, quæ meliora: quod cū ille dixisset, Alexander, qui pœnas à captivis sumere poterat, non tantum non è medio sustulit viros sapientes & eruditos, sed etiã muneribus & plurimis & planè regis ornatos domum ad suos incolumes remisit. Idem verò apud Indos erant Gymnosophista, & Brachmanes, qui apud Persas Magi, apud Babylonios, & Assyrios Chaldaei, apud Celtas Druids, & Semnothei, apud denique Græcos Philosophi.

Laërtius
lib. 1.

Et sanè cætera, quæ dedere responsa, jam excutere nostri non est instituti, neque temporis angustia ferre videtur, ut tam latum in campum exspacemur. Saltem illud tertium, quod de animali callidissimo redditum, paucis repetere jam nos oportet, ut paullatim viam nobis ad hujus argumentum oratiuncule faciamus. Callidissimum fertur esse animal, quod homo nondum videre, nondum indagare, & noscere potuerit. Probabilis oratio, et iis de locis minimè falsa, quæ ab hominibus frequentantur. In his enim sagacissimum esse oportet animal, quod hominum oculos plusquam lynceos, qui rimantur omnia, & in usque terra viscera penetrant, tot jam retrò seculis fallere potuerit. Interim affirmare non dubitem, medio in mari, præsertim si raro navigetur, & in solitudinibus Africa, in quibus sæpè cultus humani nullum apparet vestigium, & in sylvis incædis murgis congenitis, ut loquar cum Plinio, animantes quasdam latere posse, quæ tamen non tam suam per solertiã, quod Gymnosophista videtur, quàm per loci solitarii infrequentiam, hæctenus ignota nobis manserint. Ideoq; si quis Alexander illud ex me quæreret, citra hesitationem ullam hoc redditurus essem responsi: nullum reperiri animal, quod calliditate seu prudentiã cum Vulpeculà conferri possit.

Plin. libr.
16. cap. 3.

Prudentiam vocant pauculi, sed plerique calliditatem, cum hanc in feram propter rapinas, voracitatem, ingratitude, & varias injurias, quas & hominibus & bestiis afferre putatur, omnes ferè malè animati sint: jure verò an injuria paullo post dicitur. Quorsum igitur hæc tam multa in hoc quasi profcenio, quorsum? Nolo vos, Auditores optimi, diutius suspensos tenere sed tandem, quo hæc à me consilio jam allata sint, disertè & perspicuè edisseram.

Scitis opinor omnes, qui jam & animis & corporibus adestis, eos, qui dediti sunt bonis literulis, neque saltem Scholasticos, & Studiosos, sed etiam Viros egregiè doctos, qui publicis funguntur officiis, præsertim si in scholis ætatem agant, aut si aliò vel in aulas Principum, vel copiosiores in Respublicas evocati mores scholasticorum, qui ferè minus fallaces, non statim ut veterem quandam pellem exuant, passim Vulpeculas scholasticas cum seriò, tum joco, & à benevolis, & à malevolentibus appellari. Quin eò res jam rediit, ut hoc nominis non nostro tantum ordini, sed etiam Principibus viris, & reliquis Magnatibus, si vel doctiores sint, quorum de numero nobis haud immeritò gratulamur, vel literarum studiis patrocinentur, & magnos sumptus in scholas facere non dubitent, ab iis, qui viri militares, qui bellicosi, qui aulici, qui ~~ad~~ luxuè regi videri cupiunt, tribuatur.

Ob hanc itaq; novitituli, & nova seu inscriptionis, seu salutationis accessionem, an letabimur, Auditores, an stomachabimur? Neutrum faciemur, opinor, ob rem tantillam, & propè ridiculam; nisi audire velimus tritum illud deivà & Paxn's, mira de lente.

Veruntamen aliquid causæ seu veræ, seu fictæ subesse oportet, cur ita passim vocitemur.

Quid

Quid igitur, Auditores, quod mihi datis consilii, quid vobis quaeso videtur? an non putatis haud pessimè tempus & operam me collocaturum? illas si causas querere, & in medium adducere, si hanc Vulpeculam scholasticam excoriare, si exenterare, si exdorsuare, si novus Anatomicus secare coner, & ostendere, scholasticos Vulpeculis in plerisque falsò quidem, sed tamen non in pauculis & verè comparari, neque cognomentum hoc nobis semper vituperio & contemptui, sed etiam laudi & honori, si dextrè capiatur, esse posse. Hoc igitur argumentum ut ad explicandum mihi deligerem, & hac ipsa causa, & insuper alia quaedam, ne quid dissimulem me impulerunt.

Primum enim turpiculum esse judicabam, quod & jam ante paucis dixi, si nominis, quo jam per omnem Germaniam afficimur, rationes si qua sunt, & quà conveniat nobis, & quà minus congruat, nesciamus. Asinum si quis me vocaret, libere loquor Auditores, continuo ad Aristotelem, ad Plinium, ad Aelianum, ad Gesnerum, ad alios, qui historiam animalium descripsere, mihi decurrendum putarem, & ingenium Asini, quod nam sit illud, perquirendum. Si quis me nominaret Elephantem, Elephantis indolem è libris eruerem. Si quis Bovem me diceret, Bovis naturam & mores expiscarer, tum verò instituta collatione minimè difficili, quoniam contactus essem corio dignoscerem: quod ipsum non est dubium, quin omnibus nobis faciendum sit. Primam consilii mei causam habetis, Auditores: Jam alteram, qua mihi longè majoris est momenti, accipite.

In hoc igitur argumento ut mea versaretur Oratio, à me nuper admodum, & optimo quidem jure postulavit Illustris & Generosissimus Dominus, DN. HEINRICUS RU-


THENUS POSTHUMUS, Dominus à PLAWEN, Domi-
 nus in GRAITZ, CRANCHELDT, GERA, SCHLAITZ
 & LOBENSTEIN, &c. qui olim & Academia nostra Sa-
 lana, & Argentoratensis fuit alumnus: qui literis ab in-
 eunte aetate dedit operam. & in eloquentiae arenam, sub Prae-
 ceptore & ductore Clarissimo Viro D. MELCHIORE JU-
 NIO, cujus ex ore melle dulcior fluebat Oratio, aliquoties de-
 scendere non est veritus: qui literatorum patronus summus
 est, & propè dixerim amicus, adeò, si cum eruditis agendum,
 instar Leonis autoritatis suae unguis introrsum vertit: qui
 nuper Gerae, non sine maximis impensis, quarum etiam Reges
 & Principes potentissimos jam poenitere videmus, publicum
 Gymnasium aperuit: qui Scholasticis non baras, sed aras,
 non caulas, sed aulas, non casulas & tuguriola, sed domos
 propè dixerim Augustales, & magnifica palatia excitavit:
 qui docentibus liberalissima solvit stipendia, & discentibus
 sumptuosa praebeat alimenta, quos numos in moriones, in scur-
 ras, in canes, in equos, & alias in phantasias multi profun-
 dunt: qui nostram Academiam instar matris veneratur: qui
 me nihil unquam tale meritum singulari prosequitur clemètia,
 & benevolentia complectitur. Egonè verò tam Illustri viro,
 tam benè de Republica literaria merito, qui bonas literulas
 pluris, quam suum ipsius facit ararium, & facultates suas,
 quidquam denegare possim? Absit verò absit, Audito-
 res, nisi homo rusticus, quid rusticum dico, nisi ingratus, nisi
 improbus, nisi alter Corabus videri velim, hoc ut officiolum
 recusem.

Hujus ego μᾶλλον nutum pluris aestimo, quam vul-
 tus torvos, & taurinos omnium Thraasonum, qui literis ini-
 mici sunt; pluris quam omnium Centaurum maledicta &

convitia, quibus interdum nostrum in ordinem debacchantur.

Faciam igitur, quod facere iussus sum, & primò quàm malè, tum verò quàm benè Vulpeculè scholastica vocemur, paucis, si tamen prius nonnulla de appellationibus morum, que ab animantibus brutis ad homines translatae sunt, quod pace vestra mihi liceat, prefationis loco premiserò. Certus sum hanc opellam meam nec ingratham Deo, nec vobis, Auditores, molestam, nec ordini Scholastico ignominiosam, nec studiosæ juventuti, cui semper deservire conor, infrugiferam esse futuram.

De appellationibus morum ab animantibus brutis ad homines ductis.

 *U*emadmodum itaq; Pardalis animal ferum cutem pluribus maculis distinctam habet; ita hominis animus, quàm virtutes, quàm vitia non minus pictus est, & variegatus. Falluntur enim omnes, qui unicam dicitant esse virtutè, que diversis à rebus, in quibus occupetur, diversa nomina sortiatur, sicut eundem visum, si alba percipiat λευκόθειαν, si nigra μελανόθειαν vocare possumus, qua Aristonis Chii, Zenonis Cittici, Menedemi Eretrienensis, & ipsius quoq; Sacratæ opinio fuisse putatur.

Hæ virtutes, & que his opposita, vitia sepius nomibus animantium, in quibus & horum & illarum quedam imagines sunt & simulacra, in hominibus designantur. Nec enim ipsa ratio, sed aliquid ἀνάλογον rationis, neq; vera virtus, sed aliquid geminum & cognatum virtuti, neque vitium propriè dictum, sed aliquid par & simile vitis in

Plut. de
virtute
morati.

animan-

animantibus brutis deprehenditur. Viros itaque strenuos
 & fortes Leones appellare passim moris est. Ante annos
 quadringentos in Bavariâ & in Saxoniâ à Rbeno ad Albim,
 & ab Hercyniâ Sylvâ ad mare Balthicum usque rerum poti-
 tus est HEINRICUS PRINCEPS potentissimus & for-
 tissimus, qui cum Gentem Henetam multis jam seculis Ger-
 mania incumbentem partim delevisset, partim imperata fa-
 cere coegisset, Leo cognominari cepit felicissimus omnium
 Principum futurus, si suam concoquere felicitatem, & ad
 posteros transmittere potuisset. Eos verò qui tardi sunt &
 tardi, hebetes & indociles, Boves dicere solemus, unde pro-
 verbia: Bos ad lyram, Bos ad ceroma, Bos ad presepe in sta-
 bulo, Bovi Cyprio merendam, & si qua horum similia, quibus
 haud aliter quam numis, quorum forma publica frequenter
 utimur. Scitis, Auditores, animantes, qua Ezechie Prophe-
 ta sub Hominis, Leonis, Bovis, & Aquile figurâ apparent, à
 Theologis quatuor ad Exangelistas, & quidem Aquilam ad
 Johannem, Bovem ad Lucam, Leonem ad Marcum, & Homi-
 nem seu Angelum ad Matthæum referri.

Cùm igitur Uladislavus Polonus Matthie Hunniadis
 in Ungaria regno successor omnibus in provinciis Pannonia
 magnam armorum, pecuniarum, commeatus, aliarumque
 rerum copiam offenderet, aliquando Buda regiam per arcem
 obambulans, & Matthie conspicatus imaginem, Deum im-
mortalem, aiebat, quàm bonus pastor hic meus fuit ante-
cessor, quàm Oves & multas & pingues nobis reliquit.
 Tum verò Hungarus quidam homo dicaculus, non, inquit,
 mirum est, ita se rem habere. Matthie enim non erat
Lucas, sed erat Marcus, innuere volens, non Bovem & Homi-
nem ignavum, sed Leonem & Bellatorem strenuum fuisse.

Crantz. in
Saxo &
Vand.

Erasmus
in adagiis.

Ezech. cap.
1. & 10.

Sambucus
append.

Simul

Simul occultè perstringebat Uladislaum, qui corpore obæsus erat, ingenio stupidus, neq̄ rebus gerendis satis idoneus. Cum autem, qui aderant, iis risum effunderentur, Rex imperitus lingua Pannonica, quid ille sermonis habuisset, percontatur? Interpres vir prudens respondebat, Hungarum benè fuisse ominatum de Uladislao, qui nec fortitudine, & virtute, nec opulentiâ, & omnium rerum copiâ Matthiâ inferior futurus sit. Rem enim ipsam si aperuisset Regi, Iron ille dubio procul gratiam non bonam propter linguam ἀκόλαστος initurus fuisset. Sed ad rem.

Homines stolidos, rudes, malè moratos, ignavos, & serviles asinos nuncupare moris est. Nota sunt illa pervagata: *Asinus ad tibiam, Asino narratur fabula, & ipse movet auriculas, Asini caput ne laves nitro, auriculas Asini Midas Rex habet, Asinus mysteria portans, Asinus stramenta mavult, quàm aurum, quibus de Erasmo plurima in opere adagiorum.*

Et in sacris Issaschar Jacobi Filius Asinus fortis, quod oneribus ferendis dorsum submissurus esset, nominatur.

Hic facere non possum, quin historiolum vobis, Auditores, & illam quidem ridiculam, sed veram tamen, nec alienam ab iis, quæ jam allata, commemorem. Cum olim Nobilis Adolescens sacris initiatus Bambergæ in collegium Canoniorum adscisceretur, Feria prima Paschatos Epistolam canere & industria sua specimen aliquod edere jussus est. Ille, qui non satis peritus erat lingua latina, cum ad hac usque progressus esset verba, sicut & vos estis azymi, nonnihil basitans tandem magnâ voce oculis in collegas defixis, decantare cœpit: Sicut & vos istis asini. Canonici qui assistebant, sibi forte se malè conscii

Genes. 49.

Manl. in
loc. com-
muni de
Ecclesia.

in ruborem omnes dabantur. Tum verò prudentiores & doctiores, Profectò, ajebant, id quod re ipsà sumus, hactenus in faciem hominum nemo dicere nobis ausus fuit. Hic adolescens verum dixit, verum cecinit, quem, iniquum fuerit, si aequis & auribus & animis audire non velimus. Sed pergemus ad sequentia.

Homines desides, pigros, ac somnolento; glires, vitulos marinos, & fucos omnis dixit antiquitas.

Dormitis nimium glires vituliq; marini
Non mirum est, si vos crassa Minerva premit.
inquit Martialis: et Virgilius.

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent:

quod genus & insectorum & hominum quantumperè nostra, quoq; infestet alvearia, nec sine dolore cogitare, nec sine indignatione justissimà dicere possumus.

Eos, qui Bœotorum in morem bebetes sunt & obtusi, qui voraces & gula dediti, qui pingues & obæsi, qui sordidi & luculentissimi, porcos, sues, & scrophas appellare nemo nostrum est, qui nesciat. Margaritas objicere porcis sacra prohibent. Et sus lore venit ad volutabrum luti. Sus Minervam: nihil suis cum amaraco: nec male de seipso Horatius:

Me pinguem & nitidum benè curatâ cute vises.
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Utinam verò ravior & carior nobiscum ejusmodi porcorum & Corocatterum noctu non suis quidem in hæræ, sed publicis in viis grunnientium esset annona. Utinam cum Fabio maximo Cunctatore, qui mitissimus fuit & placidissimus, ovicula potius, quam cum Sicilia prætorè Verres dici possumus. Sed mittemus jam querelas, & Mitionis personam sustinebimus.

Imbel-

Lib. 1. Æ.
neid.

Matth. 7.
2. Pct. 2.

Lib. 1. epist.
4.

Plut. in
Fab.
Ciceroi n.
Verr.
Terent. A.
delph.

Imbelles, timidos, & fugaces lepores & rectè quidem
 vocamus. In castris lepores galeati sunt illi, qui ante pugnam
 feroces sunt & procaces in lacessendo, qui immanes spirant
 minas, qui collisione armorum, & pedum suppfusione tumultu-
 antur, quos uno spiritu totas legiones difflare posse existi-
 mes: sed ad manus si ventum, primi omnium, quod ait Aristote-
 les, ἀΨις αὐτῶν, h. e. animis concidunt, segniter rem gerunt,
 arma abjiciunt, trepidi aufugiunt, ocyus & ventis & fulmi-
 nis ocyus alis. Et scimus quid sibi velit illud protritum: Mor-
 tuo leoni lepores insultant, & barbam vellicant. Nostra-
 tes verò huic animanti, cujus prima in mensis gloria, sum-
 mam per ingratitude[m] hanc ignominia labem aspergunt:
 ut homines simplices, & fatuos, stolidos, & ineptos Lepores
 temerè nuncupent, contra & hujus levipedis, quem ita dici
 putat Lelius, naturam, & loquendi consuetudinem. Qua-
tuor sunt minima terra, & sapientibus sapientiora, lepuscu-
lus plebs invalida, qui collocat in petram nidum suum. Et
 tum lepores dare consilia leonibus dicuntur, si docti viri po-
 tentioribus ea suggerunt, quæ minus sunt ipsorum ad pala-
 tum, & licentiam tyrannorum contrahere videntur. Eant
 nunc illi belli homunciones, & helleborum bibant, qui de Ha-
 sione, & hasibili qualitate fumos vendere non verentur, ni-
 hilo meliores iis, qui malitiosè docti de sexu fœmineo, quod
 non sint homines, nugari, de pulice Virgiliano argutè philoso-
 phari, de illis nazum deliciis, quas Erasmus tussi jubet dissimu-
 lare, & de alvi tumultibus, & bellis intestinis egregias dixo-
 topias procudere, de pennalissimo denique verba facturi juris
 utriusque arculas & scrinia compilare non erubescunt: digni
 verò quibus aures non leporina, sed asinina potius, ut vêtulus

3. Ecl. cap
7.Virg. lib.
5. Eneid.Mart. lib.
13.Gell. lib. 1.
cap. 18.
Proverb. 30

his tam calidis & aestuantibus fiat capitibus, clavis trabalibus affigantur. At verò cum non neminem dubitare sentiam, quanam illius *ναὐτοχρηστος* ineptissime, loquor de lepulo, sit occasio, quid alii hac de re literis prodiderint, vobis, Auditores, commemorabo. Scio quidem hac ipsa non interiorum Philosophiam sapere, sed ea, que in circulis agitantur, olerè. Verum omnes illi, qui meminerunt, quodnam orationis nostra sit argumentum, mihi veniam haud inviti daturi sunt. Nec affirmare dubito illos, qui hac vulgaria norunt, saepenumero publicis in congressibus doctissimos & gravissimos inter viros plus intire gratia, quam si *ὑπεροβία* & *ναὐτοχρηστος*, que supra cælum & infra terras geruntur omnibus cum Philosophia mysteriis, & sacris Eleusiniis in scenam producere queant.

2. Reg. 3.

Sub initium hujus Academiae, cum Erhardus Schnepfius Sacrosanctæ Theologie Doctor, vir eloquentissimus nobiscum in ade sacrâ publicè interpretatus esset historiolum de Eliseo Domino, & Gebasi ministro, quorum ille Naheman Syrum, qui leprâ fuerat infectus, pristina valetudini restituerat, hic verò in scio & invito Propheta pecuniis emunxerat, cuius tamen pleonexie pœnas dedit gravissimas: hac igitur cum explicaret Schnepfius, querere cœpit, an & inter nos forent nonnulli, qui Gebasi similes? hoc est, qui pluris facerent questum, pecunias, opes, divitias, quàm Deum, quàm fidem, quàm pietatē, quàm docentium autoritatem. Imò verò plures, inquit, passim reperiantur. Ego sum Gebasi, tu es Gebasi, omnes propè sumus Gebasi: qua verba, cum diutius in hac materiâ hareret, aliquoties iterasse perhibetur. Nec mora, quod vir optimus dextrâ porrigebat, id sinistrâ nonnulli Scholasticorum homines laservi, & calophanta ridiculi arripuerunt, & suas inter epulas

& com-

Et compotatiunculas, primò quidem, si quis suam captaret utilitatem, Et aliquid insidiosè moliretur, tùm verò quicquid tandem prapostere Et ineptè faceret, eum Gebasi vocabant. Dimanavit hac fabula vicinas in Academijs, Et in hominum quoque vulgus defluxit, donec misellus ille Gebasi abscissà priori syllabà capite multaretur, ita quidem, ut omnes à quibus perperam aliquid nec satis cogitanter fieret, linguâ nobis patria Lepores seu Hasi nominarentur.

In finita sunt Et innumera, si quis omne per genus animalium ire velit, bujus, qua de jam agimus, trajectionis exempla.

Si qui attenti sunt ad rem Et avari, eos laros hiantes, vultures Et corvos appellamus.

Si qui garruli, blaterones, locutuley, convitiatores, picas, graculos, Et ranas.

Si qui erronei Et turbones nocturni, vespertilianes, Et Nycticoracas.

Si qui crudeles, Et truculenti, lupos Et byenas.

Si qui immemores beneficiorum, Et ingrati, Viperas Et Cuculos, cui tamen adicula, que potius similis palumbi, quàm accipitri, insignem fieri injuriam, multi sunt, qui graviter queruntur.

Si qui celeres in rebus gerendis, Dracones, quod nominis inditum fuit Constantino Paleologo Imperatori Græcorum, ultimo, cum aliquot secundis præliis Turcas festinatè obruisset Et fudisset.

Cuspin.

Si qui fortunati in debellandis hostibus, eos Aquilas dicebant, quod honoris cum Pyrrha à militibus haberetur, Per vos, aiebat, sum aquila, mode stissimè gloriosi nominis invidiam declinans suamq; laudem in milites transferens.

Plut. in. Pyrrho.

Justinus
ibr. 27.

Pradones, & raptores, ~~legibus~~ accipitres vocamus, quod cognomen tum olim fuit Antiochi Regis Syria: quod puer vix natus annos quatuordecim supra aetatem regni avidus non hominis, sed accipitris ritu in alienis eripiendis vitam seclaretur.

Neg, rarum hoc est & insolitum, ut ejusdem animantis nomen & vitiis, & virtutibus assignetur, in q̄ partem accipiat & deteriore, & meliorem.

Prover. 28.
Sophon. 3.
Syrac. 4.
Psalm. 22.
i. Petr. 5.

Vitiis, ut his quidem in adagiis: Leonis catulus in civitate non alendus: Leonina societas: Leo est in lustris: Leo rugiens & ursus esuriens princeps impius super populum pauperem. Principes ejus in medio illius quasi Leones rugientes, & judices ejus lupi vespertini. Ne sis leo in domo tua. Salva me ex ore leonis. Diabolus circumit tanquam Leo rugiens quarens quem devoret.

Genes. 49.
Prover. 28.
Apocal. 5.
Psalm. 22.
Eccl. 56.
Math. 7.
ad Philip. cap. 3.
2. Petr. 2.

Virtutibus autem: ut accubuit instar Leonis. Justus quasi Leo confidens. Vicit Leo de tribu Juda: Senectus leonis praestantior hinnulorum juvena.

Passim in
politicis.

Deteriorem in partem: ut circumdederunt me canes multi. Canes muti non valentes latrare. Nolite sanctum dare canibus. Videte canes, videte malos operarios. Sicut canis revertitur ad vomitum. Cujus generis & illa sunt: caninam pellem rodere: canina foecundia: canis in praesepi: Canem alens externum prater funiculum nihil habet reliqui: canes timidi vehementius latrant: quid cani cum balneo: masculi canis plura cubilia. Et quis omnia quae hoc de genere dici solent, possit colligere?

Melior in partem, si magistratus, qui Platoni custodes sunt, appellatione Canum, propter animantis vigilantiam & fidem denotentur. Ita cum Alexander Magnus

Atbe-

Atheniensibus se pacem daturum polliceretur, si Oratores
 & Demagogos suos sibi dederēt. Demosthenes recitavit apolo-
 gum de Lupis qui & ipsi pacem ovibus obtulerant, si canes ob-
 sidum loco sibi tradidissent. Et circumferri quondam solebat
 Chorographia Italiae, in quam per Alpes irruebant, primò
 quidem ursi, quibus haec adscripta verba, nunquam redituri,
 qua Germanorum erat pictura: tùm Galli gallinacei, qui po-
 puli cognominis erant imago: denique canes venatici, qui-
 bus Hispani gens alacris, vigilans, animosa, nec Dominis suis
 infida, qua praecipua virtus hujus animantis, exprimeban-
 tur. Hanc ipsam quoque διτολογία videre licet in nomine
Vulpecula, quamvis saepius mali, quam boni significationem
 obtineat, si nostris moribus applicetur: ut cum, inquit Chri-
 stus, dicite Herodi vulpi: quasi Vulpes in deserto propheta
 tui Israel. Nec ignota sunt illa trita: Vulpes pilos mutat, ani-
num non mutat: Vulpinari cum Vulpe: eo vulpina pellis as-
suenda, quo leonina non pertingit, quod Lysandrum crebris
usurpasse sermonibus, Plutarchus autor est. Interdum tamen
& virtutis aliquid hoc nomine significari constat. Sic enim
Pindarus in Pythiis Melissum, inquit, audaciâ & labore si-
milem fuisse animo seu fortitudini graviter frementium
leonum, sed consilio Vulpi, qua aquile devolantis gyros & im-
petus excipere, sustinere, frangere, & elidere possit. Et in
proverbio: ἀλώπηξ ἢ λαλεῖ Vulpes non garrit, viripru-
dentes, qui suam frenare possunt linguam, dubio procul desi-
gnantur.

Hec cum praemisimus, Auditores, sub manu jam
 nobis haec questio oritur: Nomen vulpecula, si scholasti-
 cis tribuatur, boni an mali, virtutis an vitij, laudis
 an vituperij, honoris an ignominiae significatum habeat?

Ego verò

Plut. in
Dem.

Lucæ 13.
Ezech. 13.

Plut. in
Lysand.

Oda 4.

Ego verò respondere non dubitem, neutrum habere. Fortuita enim, & juvenilis ac temeraria nobiscum hujus nominis fictio fuit & imposita. Alibi quid factum sit nescio: sed hac in Academiâ quid ante 30. plus minus annos acciderit, meminimus, & multos eorum, quos jam adesse videtis, si opus foret, testes invocare poteramus. Erat olim nobiscum Vir & bonus, & eruditus, qui plura in recessu habebat, quam primâ fronte pollicebatur, sed interim timidiusculus, & semper ferè metuens ne cœlum rueret. Is igitur è scholâ triviali, cujus in pulvere per aliquot jam annos desudarat, & Sisyphi saxum, voverat, ad nos Jenam reversus officio publico in Academiâ fungebatur. Gerebat ille tum pallium, quod pelle vulpinâ erat suffultum. Ab hac itaque veste, & à vita prioris conditione nonnulli studiosorum vitulantium ipsum Vulpeculam scholasticam denominabant. Et scitis Auditores, quàm faciles ὄνομα τολήτορες inter nos reperiantur, adeò quidem, ut ipsum Adamum, qui rebus omnibus sua fecit nomina, superare possint; quamvis plerumque non videant illud mantica, quod in tergo circumferunt: Ego met mi ignosco Mævius inquit:

Genes. 2.

Horat. lib.
1. satyr. 3.

Stultus & improbus hic amor est. dignusque notari.
Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut Aquila, aut Serpens Epidaurius. &c?

Hic igitur ipse, quem diximus, hujus honore nominis diuile solus fruebatur, solus erat Vulpecula scholastica, solus ejusmodi subsannatorum digitis monstrabatur. At verò non multò post factum, ut hujus nominis quasi contagio serperet longius, & non reliquos saltem ad scholasticos, sed etiam ipsos ad professores, ad omnes literatos, & denique summos ad

viro,

viros, qui studiis nostris aequiores sunt, & altores scholarum mirificâ & propè ridiculâ transitione dilaberetur: nec est, quod quis speret hoc aboleri nomen, & quod semel factum, tam facile infectum reddi posse. Jam igitur hoc alterius incipit esse questionis: inter Scholasticos & Vulpeculas an nihil omninò, an aliquid saltem similitudinis sit, & convenientia, affinitatis, & cognationis, qua hanc ὀνομαστικῶν ut cunque vel tueri, vel excusare saltem possit? Respondemus discrepantia & dissensionis esse plurimum, neq; parum tamen congruentia, & consensionis, si ad Vulpecula mores attendatur. Priorem collationem hac priori, sed posteriorem posteriori oratiunculâ (duarum enim vobis spem fecimus) paucis ad libram appendemus.

I. Dissimilitudo penes fraudes, rapacitatem, crudelitatem, & voracitatem, Vulpeculæ, &c.

ET primò quidem, Vulpeculam esse ferunt animal dolosum, rapax, crudele, gulosum, & vorax: cum & homines, & reliquas animantes astu multiplici circumveniat: cum in aviculas & bestias minores immanissimè sædiat: cum ipsa laniet cadavera, & ventrem suam explere nunquam possit, unde quidem ab Hispanis *Raposa* dicatur. Plura ferè misellam in Vulpeculam congerit *Ambrosius*, qui animal, inquit, dignum esse odio propter rapinas, despectum propter infirmitatem, incautum suæ salutis dum insidiatur aliene. Hec ipsa non omninò sunt de nihilo, sed multa tamen leviora, quam esse putantur, & si excipias

Gesner. & alii plures.

In hexam.

D

paucula

paucula quaedam, purgatu non admodum difficilia.

Inimicos habet venatores, cum ipsorum artes sapissime eludat, & evadat: cum lepuseulos intercipiat: cum canes interdum male multet & dentibus, qui acutissimi, & cauda, qua madet urinâ, unde quidem videre licet, quàm timida sit & infirma. Inimicos habet aucupes, cum omnis generis volatilia scitè capiat, & avidè comedat. Inimicos habet vinitores & hortulanos cum uvas & arborum fructus præripiat. Inimicos agricolas, quorum cortes infestat, gallinas venatur, anseres obtorto collo secum aufert. Hi omnes ex musca facere elephantem, & vulpeculam tot flagitiorum ream peragere, cum tamen non nisi ductum natura secuta, & eam sibi sumens licentiam, qua etiam mansuetissimis animantibus concessa, pastum, sed absque furtis & latrocinij, cum lex nulla ipsi lata sit, ingeniosè quarat. Verum, ut maximè sit dolosa, & nomen vulpionibus dederit, sit crudelis, sit gulosa (nec enim jam vulpecula apologiam meditabimur) tamen his à moribus alienissimi sunt scholastici, & hoc quidem pacto non nisi per calumniam huius animantis nomine debonestantur.

Primum enim, studia liberalium disciplinarum, quibus dediti sumus, & schola cum publica tum privata, seu quod idem, docentes simul & discentes suorum conatum & laborum fines sibi prestitutos habent, Sapientiam, qui primus, Eloquentiam, qui secundus, & Virtutem, qui tertius & omnium præstantissimus. Omnis enim scientia, qua à justitia sejuncta, calliditas potius, quàm sapientia dicenda. Et eloquentia, si malitiosos in homines cadat, nihil aliud est, quàm gladius biceps & acutus in manu furiosi, quo obvios quosq; cadit, fodit, pungit, vulnerat, conficit, mactat, è medio tollit. Cum igitur pietas, virtus, & morum honestas primum sint in litera-

rum

Cic. i. off.
Stob. serm.
9.

rum studijs, cum secundum, cum tertium, quod de actione dicebat olim Demosthenes, cum denique omnis vera eruditionis cardo in hac ipsa vertatur: quinam Scholastici, nisi pseudo sint Scholastici, tot vitijs & flagitijs affines esse possunt? Prudentiam sibi colligunt, non calliditatem & fraudulentiam. Humanitati assuescunt, & immanitatem omnem sanguine viperino pejus oderunt. Temperantiam $\sigma\omega\alpha\nu$ $\Phi\epsilon\gamma\eta\sigma\tau\omega$ & matrem omnis sapientia esse ducunt: tantum abest, ut in ventris & gula voluptatibus, tanquam in caeno quodam volutentur. Et sane testem habemus experientiam, qua vel stultorum esse potest magistra, licet in scholis non nemo fallax sit & fraudulentus, non nemo ferox & inhumanus, non nemo comestor & manducus, tamen plerisque Scholasticorum, seu omnes potius, qui hoc merentur & tuentur nominis, mediam insistere viam, & horum a vitiorum diverticulis unice sibi cavere. Neque minus & reliquis in hominum ordinibus bonos cum malis, & malos cum bonis, citra tamen ignominiam meliorum, misceri videmus, non secusquam Aegyptus ferre scribitur $\Phi\acute{\alpha}\gamma\mu\alpha\kappa\alpha$ $\pi\omicron\lambda\lambda\acute{\alpha}$ $\mu\epsilon\nu$ $\epsilon\omicron\delta\lambda\acute{\alpha}$ $\mu\epsilon\mu\iota\gamma\mu\acute{\epsilon}\nu\alpha$, $\pi\omicron\lambda\lambda\acute{\alpha}$ $\delta\epsilon$ $\lambda\upsilon\gamma\gamma\acute{\epsilon}$. Ministerio docentium in Ecclesia quid divinius? At verò bonos inter pastores quot mercenarii delitescunt, quot quæso lupi vagantur? Nullum genus hominum plures animarum perdidit myriadas, quam hoc ipsum, quod tamen aut omnes, aut certe plures DEO lucrari debebat. Magistratu politico quid augustius? Et tamen quis tyrannos, & institores in tanta paucitate bonorum principum numeraverit? Patrefamilias quid dignitate prestabilius? Et tamen paucissimi sunt, qui κατὰ γυνώσκουσιν mariti cum uxoribus, parentes cum liberis, domini cum servis habitare, uti Petrus loquitur, & quietam agere vitam possunt.

Cic. 3. de
Orat.
Quintil.
lib. 11. cap. 3

Scob. ses. 7.

Hom. o.
dyff. d.

Phil.

Phil.

Herodo.
lib. 3.

Acton.

1. Petr. 3.

Sed ad reliquas nostrae collationis partes descendemus.

II. Dissimilitudo: Vulpes ingrata & noxia, non Scholastici.

Ibid. Alb.
Gefn. alij.



Gefn. ex
Variu.

AB.

Vulpecula cubile seu latibulum melis, quam & taxum vocant, insidiosè occupat, & occupatum quaqua versum ingratus hospes ita lotio & excrementis suis coinquinat, polluit, fœdat, cõspurcat, ut melles impatiens fœtoris aliò migrare, suum deserere nidulum, & novum hospitium sibi quærere cogatur. Quin urina Vulpis omnia, quæ resperfit loca, sterile scere facit, ut ex iis vel nullæ nascantur herba, vel si quæ nate, continuò moriantur. Dii verò prohibeant, hæc ut ingratitude & pernicies de Scholasticis cogitari saltem possit. Nullum genus hominum, quod æquè memor beneficiorum, si quæ acceperit: nullum quod officii se vinci minus patitur: nullum quod majori mensura quæ data cunque sunt, remetitur: nullum quod similis agro fertili, qui sementem sibi creditam magno cum fœnore rependit: nullum quod fert utilitates privatim, ac publicè & certiores, & majores, & diuturniores. Etenim schola, seu literule, seu studiosi bonarum artium, & partium, seu ut jam nostrates loquuntur, Vulpecula scholastica, primùm iis & locis & hominibus, à quibus excipiuntur hospitio, nominis celebritatem, benevolentiam, auctoritatem, honorem, gloriamque conciliant & maximam, & nunquam intermorituram: nec id in-

vicini

viciniâ tantum, sed etiam exterâs apud nationes, quæ & locorum spacys, & linguis, & moribus, & Imperiis à nobis planè sejunctæ sunt & separate. Quis enim illas non amet urbes, & provincias non magnificiat, non summo in precio habeat, quæ officina sunt virtutis & omnis sapientia: quæ ut Circe ex hominibus bestias, ita ex bestiis homines queunt efficere: quæ ut equus ille Trojanus omnem & in continentem, & in oram maritimam, eos gregatim emittunt, qui piè regunt Ecclesiam, qui prudenter Respublicas temperant, qui omnem vitam cautè, & feliciter moderantur.

JENA nostra, (quæ primus est aditus orientalis Thuringiæ & terminus occidentalis sicut ostia Salsæ septentrionalem finiunt) ut & Helmstadium, & Altorfium, & Giessena erant quondam oppidula ne ipsis quidem Germanis interioribus satis nota. At postquam Academiarum domicilia esse cœperunt, tantum reliquas inter Urbes, & illas quidem metropoles vicinarum provinciarum, sua extulerunt capita: ut jam nullus sit Europe angulus, quo ipsarum fama non pervaserit. Quid dicam de ingenti vi pecuniarum, quæ omnibus è nationibus in Academiarum quasi crateras & castella defluunt? Quid de questu uberrimo, quem è rebus quoque minutulis cives faciunt? Quid singulari de rei familiaris incremento, quod in vicina quoque loca redundat? Si septingenti saltem aut octingenti studiosi Academiæ cujusdam, quæcunque tandem illa fuerit, sin æumni, non dubitem affirmare, centum aureorum millia quotannis eò deportari. Omnes qui locant aedes & operas suas, omnes qui habent quod vendant, omnes librarij, bibliopola, pharmacopœi, chirurgi, institores, opifices, quorum genera plurima, essedarj, aurige, bajuli, ὑλοτόμοι, lotrices, netrices, famuli, quis, inquam,

Odyss. x.
Virg. 7.
Æneid.
Odyss. th. 2.
Æneid.
Cicer. 2.
Philipp.

horum est, qui non aliquid de Studiosis lucretur, qui ipsorum salem non lingat, & hac alienâ propè quadrâ vivat, qui rem suam familiarem non constabiliat, qui non felicius, catulos suos aliat?

Ovid. in
epist.

Quid porrò de liberorum educatione facilimâ minemâ que sumptuosâ in medium afferam? Non opus à nobis doctas ut eatur Athenas: non opus ut procul distitas in regiones eruditionis causa excurramus: (quamvis peregrinationes minimè culpemus) non opus ut ab exteris ea mutuemur, quæ domi nostra copiosè nascuntur. Ipsa patria suos alumnos omnis sapientia & virtutis cum præceptis augere potest, tum exemplis cumulare. Et quanti quidem hoc sit compendium, quanti hæc felicitas, vel una Fena, ne procul abeamus, testari poterit. Numerare possum ad minimum decem Jurisprudencia & Medicina Doctores, & illos quidem egregios viros, qui omnes patria Fenenses sunt, & cives bujus oppidi, quod fortasse, si absq; nostra foret Academia, vix unum & alterum, seu nullum potius erat habiturum:

2. Georg.

O fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas, inquit Virgilius,
quod ipsum & de nostratibus dicere poteramus, è quibus tamè
multi hoc ad triticum nauseant, & ad lolium seu potius cum
suis ad glandes redire cupiunt.

Gell. libr. 5.
cap. 11.

Quid matrimoniorum commoditates attingam, quas, cæcus est, qui non videt, ingratus, qui non agnoscit, sceleratus, qui extenuare, quod plurimi faciunt, conatur? Quot enim quæso nobiscum puella, quæ magnam partem non nisi plebeia, & formæ saltem statura, uxoria, modica & modesta, neq; rarò paupercula, maritos è studiosorū numero sortiuntur juvenes & honesto loco natos, & egregiè doctos & sapenmerò benè numera-

tos, &

tos, & brevi summos ad honores evebendos? Vicinas per regiones & maximè quidem per Thuringiam, Misniam, Voithlandiam, & Franciam si ire libeat, nullum propè tractum, praefecturam nullam reperies, in qua non plurimos Jenensium affines degere, & nepotes cursitare videas.

Quid de morum civilitate & sermonis elegantia, qua in Academiis è literarum Studiosis in ipsum quoque vulgus dimanant, verba faciam? Quid de victu lautiore, de honestiore vestitu, de adificiorum dignitate, de hominum frequentia, de hilaritate & laticia propè quotidianâ, de rerum novarum, qua subinde nunciuntur, copia? Et hac quidem omnia illa sunt èvoivia seu mansionis precia, qua hospitibus suis scholadici multò fidelius, quam ipsa Ciconia solvunt. Nec malè Callimachus ex Apollinis casarie, inquit, defluere, panacèam h.e. salutem & incolumitatè, quibus guttulis, si qua rigentur civitates, eas perpetuò florere, & omnium rerum necessariarum copia diffuere: tantùm abest, ut Scholastici uredinis instar habeant, & terram exsiccent, arefaciant, & infrugiferam reddant.

Ceterùm hoc loco mihi audire videor quosdâ ordinis Scholastici inimicos, quales ferè esse solent apostata, qui ab eo tempore, quo nobiscum Academia fuerit, longè graviorem annonæ charitatem, quam annis superioribus fuisse queruntur. Critones verò egregios, seu potius auritos Mida fraterculos. Diagoras, quem ἄθροον vocabant, cùm ipsi naviganti vectores adversà tempestate timidi, & perterriti dicerent: non injuriâ sibi illud accidere, qui illum eandem in navem recepissent: ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes, quæsvitque, num etiam iis in navibus Diagoram vebi crederent. Idem & nos his Labeonibus & Nasonibus respondere possumus:

An etiam

Cicer. 3. de
N.D.

An etiam vicinis in oppidis, an Numburgi, Salfeldia, Vinarie, Isenburgi Academies & studiorum alveolos & nidulos esse putent? Negabunt opinor. At his in locis non minora rerum venalium precia sunt, quam nobiscum JENÆ. Temporum hac est calamitas, neque rarò Magistratum negligètorum, qui in plerisque sui officii partibus, præterquam in tributis exigendis, dormitant: quin & ipsorum subditorum, qui luxu quotidiano nihil non abliguriunt, & interim pleonexia inexplebili laborant: non misellorum scholasticorum, quos qui hac in parte atro carbone notat, is omninò dignus est, qui & ipse literatus, seu longa potius litera fiat.

Plaut. in.
Alular.

X.

Sed excipiunt, intolerandas videri molestias, quas studiosi reliquis oppidorum incolis afferant nocturnis discursationibus & clamoribus, oppugnationibus adium, & aliis quasciere soleant turbis. Verùm hic, quod regeramus, audite. Has querimonias non omninò esse de nibilo, quid insicias eamus? Sed interim an indoctorum minorem intemperiam esse dicetis? Dicetis opinor, sed qua fide ipsi videritis. In symposiis illiteratorum quod silentium sit, qua modestia, que sobrietas, ululatus ferini, mutua convitia, & accumbentium gremia, totaq; mense frustis incoctæ cæne vinum redolentibus oppleta, & integra pavimenta vino & lotio natantia satis superq; demonstrant. Ita nimirum

Horat. lib.
1. epist. 2.

Iliacos intra muros peccatur ut extra:

Nec in nos quidquam dici potest, ad quod non commodè respondere queat illud Persii:

Satyr. 4.

Tecum habita & nòris, quam sit tibi curta supellex,
Et alterum Horatij.

Lib. 1. e-
pist. 8.

Metiri se quenque suo modulo ac pede verum est.
Qui omnem extra culpam estis, primi lapides tollite, & in

Schola-

Scholasticos mittite. Neque fieri potest, ut in tanto adolescentulorum numero Socraticam frugalitatem, continentiam Stoicam, & senilem modestiam omnes primo statim conatu assequantur: quamvis neminem petulantiorum excusatum velimus.

Da mihi viculum in oppidis, da mihi pagum tantillum in agris, da mihi propè singulas familias, quæ paulò numerosiores, in quibus nulli fures sint, nulli adulteri, nulla meretricule, nulli gancones ac lurcones, & victum me lubens volensque fatebor. Quin & Academiarum incommoda, si cum earundem beneficiis comparare velimus, pauculos loly & sterilis avena calamos latissimam ad messem conferri senties. Denique nihil est ullius boni, quod non aliquid difficultatum, & malorum sibi junctum, habeat & annexum. Non igitur quisquam fruitur veris odoribus

Hyblæos latebris nec spoliat favos,

Si fronti caveat, si timeat rubos.

Armat Spina rosas, mella tegunt apes.

De his aliquantò fusius: in sequentibus breviores sumus futuri.

III. Vulpes olida & foetida, non Scholastici.

Vulpes animal putidum est & olidum, propter & urinæ graveolentiam, & animam quoque foetidam, quam & superiorem & inferiorem, per gutturem, ita Plautus, emittit: seu, quod idem, Vulpes, quæ Alberti verba sunt, & ore, & ano foetet: quo natura

E

nescio

Claud. lib.
2. in Eutrop.

In Aulul.
Gesn.

nescio, an maleficio, an beneficio dicam, & meles suis è cadernulis ejicit, & canes insequentes repellit.

Hic verò quis unquam frontis tam fuit perfricta, qui ordinem nostrum ullius putoris, quàm animum, quàm corpus, quàm vestitum, quàm supellectilem, quàm omnem apparatus scholasticum insimulare possit? Multa sunt artes βαναοσσι δελικαί, & ἀγευεῖς, quas ita vocat Aristoteles, quae non admodum bene olent, & opificum corpora ingrato fœtore, nihil ut jam de reliquis sordibus dicamus, inficiunt, quales illae quae pelles scabunt, quae corium inungunt, quae sebum, picem, bitumen, & oleum decoquunt, quae lanas, & quascunque res alias peregrino colore imbuunt, quae salsamenta distrabentes cubito nares tergere nos faciunt, quae lutum manibus pedibusq; subigunt, quae fumum & fuliginem in officinis ferrariis colligunt: quavis neminem fastidire velimus, cum omnes membra simus ejusdem corporis, & partes earundem Rerum publicarum. Age verò quisquis es, qui Scholasticos vel οκατοφάγος, vel ἐπιτοφάγος nominas, quid habes, quæso, nostro in ordine, cujus ad conspectum oculos claudere, ad odoratum nares cōrābere possis? Ex animis & ingeniis suis spirant odores, balant suffitus, thymiamata remittunt, quae omnia veterum diapsmata & unguenta, omnem crocum & nardum, longè superant. Inceteris maximè cadent, ne de ipsis Horatianum illud dici possit:

Lib. 1. fer.
Satyr. 4.

In Mostel.

Pastillos Ruffinus olet, Gorgonius hircum.

Sed alterum illud Plautinum, mulier optimè olet, cum nihil olet, vehementer probant, & rectè quidem his in regionibus, quae Orientalium molliciem & delicias prorsus aversantur Tertiam habetis collationem, ad quartam accedemus.

IV. Vulpis alopecia, non
Scholasticorum.

Vulpes pilorum defluuium patiuntur, qui morbus cum in hominum quoque capitibus & barbis non sit infrequens, & in his & in illis Alopecia vocatur.

Gcfn. ex
Varin.
Polluc.
aliis.

Nihil huic simile in Scholasticis, nihil geminum, nihil cognatum. Fieri potest, qua rerum est vicissitudo, ut opum & divitiarum, quas non admodum magni faciunt, sicut & honorum pili ipsis vellantur: sed ut sapientie & virtutis lana tenerrima rescentur, aut deglubantur pelles, fieri non potest. Corporis & fortuna bona varijs casibus amitti, & eripi possunt, sed qua animi, supra fortunam sunt, & in olympi vertice quasi sita, quò nullæ tempestates, & flatus ventorum nulli perveniunt. Vidit hoc ipsum Bias, qui numeratur inter septem sapientes Græcia, cujus cum patriam Prienem cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa suis de rebus secum asportarent, cum esset admonitus à quodam ut idem & ipse faceret: Ego verò, inquit, facio: nam mea omnia mecum porto. Hæc in paradoxis Cicero. Super sunt collationes ultima, quæ hujus Orationis finis sunt futura.

Laërt. in
Thal.

V. Vulpecula clauda, non
Scholastici.

Vulpecula pedem dextrum habere
breviorem, & semper claudicare dicitur, Poëtarum
Vulcano qui loripes haud absimilis.

Hic verò quid de Scholasticis dicam? Confidenter hoc de ijs
affirmare non dubito, qui verè sunt Scholastici: non vari
sunt, non valgi, non claudi, sed recto semper stant talo, pedi-
bus minimè vacillantibus incedunt, nec vel ad dextram, vel
ad sinistram, quâ rerum scientiam, quâ virtutis integra-
tem & equabilitatem desleclunt. Is animo claudicat, qui jam
has opiniones arripit, mox illas animo combibit. Is moribus
& vita, qui jam bonus est, mox improbus & sceleratus, jam
candidus, mox ater & fuliginosus, jam integer & ingenuus,
mox fallax & fraudulentus. Hæc tot & tanta flagitia no-
strum in ordinem ijs, de quibus supra dixi, legibus non cadere,
certus sum, nec vel Jovem lapidem super hac re jurare dubitè.
Corporis si quæ vitia sunt, ut esse multa possunt, Dei & natu-
ra providentiâ boni consulunt, nec vel ipsos Thersites, &
Æsopos despiciunt, dummodò turpitudine corporis pulchri-
tudine animi pensetur, quo sine, de consilio Socratis,
assistere speculis, & quotidie suam con-
tueri formam non ve-
rentur.

Laert. in
vita Socra.

VI. Vulpecula rabiosa, non
Scholastici.

Porrò Vulpecula in rabiem agitur, & eadem patitur mala, eadem dat incommoda, quæ canes furiosi.

Gesit. ex
Albert.

Nunquam verò desipiunt Scholastici, nunquam delirant, nunquam ex potestate rectæ rationis exeunt. Quinam enim insani esse poterunt, qui sapientia studiosi? quinam mente capti, qui bonis literulis imbuti? quinam phrenetici, qui omniscientiarum & virtutum genere exculti? Ex his jam videre licet, quantoperè mente lapsus sit olim Festus ille nefastus & infaustus, qui Paullum gravissimis de rebus ad summam religionis nostræ pertinentibus differentem, præ nimia sapientiâ desipere inquit: cuius à stultitiâ parum illi distant, quæ sapè doctorum & fatuorum inter se nomina permutant.

Actor. 26.

V I I.

Denique Vulpes fœta, si cui via se jam danti occurrat, infelix iter presagire putatur: quod ipsum & de cane pregnante, & de lupa, & de serpente, & de parra adicula, quam & regulum vulgò nominant, persuasum habent.

Horat. lib.
3. Carm.
oda 27.

At verò nullum felicius est augurium, quàm si in Rebus publicis, aut integris provinciis, quocung, te conferas, ob-

Lib. 3. de
Republ.

vios habeas Scholasticos, & viros eruditos. Ubicunque enim vera virtus & sapientia vera nidulantur, ibi civium felicitas & divitiarum minimè omnium abesse possunt: ubi fruticantur, ibi fieri non potest, quin fructus & numero plurimos, & specie pulcherrimos, & sapore suavissimos, & usu denique saluberrimos ex se fundant. Plato miseras quidem auguratur esse civitates, quæ Medicis & Judicibus seu Juriconsultis abundant: cum ibidem omnia perstrepere litibus, & plenà intemperantiæ & morborum esse oporteat. Verùm quidquid est hujus incommodi, id ipsum nequaquam bonis literulis acceptum referendum est sed vel hominum malitia, vel intemperie loci, vel honestarum legum abusui adscribendum.

Ex his quæ jam paucis attulimus, Auditores, facillimum est colligere, quàm miserè (ludum & jocum, semper excipimus) illi desipiant, qui propter amorem & curam Scholasticorum, Magnates quoque laudatissimos Vulpeculas scholasticas vocare non verentur. Sint sanè scholastici vulpecule, ut demus illud, quod non debemus: an verò hujus nominis tincturam patronis suis affricabunt? Nihil verò minus. Principes viri sumtus & alimenta præbent misellis scholasticis, quos jocabundi animalia scabiosa & pecuniis carentia definire solemus. Ergone & ipsi Principes scabiosi sunt, & pauperculi? Medici lymphaticorum, hydropicorum, phthisicorum, suspiriosorum, & lienicorum curam agunt? Ergone & ipsi maniaci, veterinosi, tabidi, anhelatores, splenetici? Si qui hoc nominis Illustribus viris affingunt, Boves, Asinos, Capros, Simias, & Cercopithecias alant: an

quæso

quæso patientur harum pecudum & ferarum nominibus se insigniri? Non patientur, & merito quidem hanc propter operas: licet aliàs & Boum, & Asinorum, & Simiarum, & Cercopithecorum similimi sint, & fratres propemodum uterini. Interim non nescimus eum, qui alicujus rei studiosus, Φιλοτοῖστον interdum vocari.



CONCLUSIO.

Diximus quid dissimilitudinis sit inter Vulpeculas & Scholasticos, die craftini quid habeant convenientiæ, & quo sensu nobis hoc nominis, quo de jam agimus, quodammodo competere videatur, paucis explicaturi.

DEUM precamur, hoc ut sapientiæ & tolerantia nostris inspiret animis, quod boni consulit præsentia, sine fastidio

& fatie-

& satietate : quod demissè & humiliter se-
gerit, sine superbiâ & ambitione : quod
quiescit & sedulò facit propria sine temera-
riâ curiositate : quod denique sine ullâ
acediâ salutem Ecclesiæ, incolumitatem
Reipublicæ, & sempiternam DE I glo-
riam leges supremas, & fines ultimos
omnium conatum & actio-
num suarum esse
ducit.



ORATIO



ORATIO II.

Non sum animi dubius, Audito-
res, quin nonnulli argumentum harum,
quas recitare cœpi, oratiuncularum, non alio
sint habituri loco, quàm ἀδόξως καὶ ἀτόπως
ὕποβόως, hoc est, materias, ut Gellius vocat,
infames & inopinabiles, quas interdum Fe-
teres, & Sophista, & Philosophi adorti sunt. Ita Phavorinus
Thersiten illud monstrū hominis, & febrim quartis diebus re-
currentem laudavit, Gorgias Leontinus Helenam adulteram,
Isocrates Busyridem Tyrannū, Glauco apud Platonem in libro
de Republica, Injusticiam, Lucianus muscam, Synestius calvi-
tiem, Picus Mirandula comes barbariem, ut jam id genus
multa pratereamus. Verum has inter materias, & nostram
hanc de Vulpeculis scholasticis dissertationem, qui primo sta-
tim intuitu mulcum intercedere dissimilitudinis non videt,
na illum & animo & oculis captum esse oportet. Ea que nos
de scholasticorum & vulpecularum discrepantiā & conve-
nientiā dicimus, veriora sunt ijs, ut habet proverbium, que apud
Sagram acciderunt, & extra omnem dubitationis aleam sunt
posita. De argumentis autem paradoxis, que Rhetores affe-
runt, ea ficta esse & commenticia, ne ipsi quidem inficiantur.

Lib. 17. c. 12

Hom. Iliad.

F

Nostris

Nostris in oratiunculis hoc potissimum agimus, ut quae cum in curriculo studiorum suorum, tum in omni vitâ cavere debeant scholastici, quae expetere & consecrari, studiosè demonstremus. Illi verò Sophistæ & Philosophi non aut serenda, aut alenda & educanda virtutis causâ has sibi hypotheses delegerunt, sed tantummodò, quod eas idoneas esse putarent, vel ingenio expergefaciendo, vel exercendis argutiis, vel difficultatibus usu edomandis. Cùm itaque vobis, Auditores, constare existimem, quantò pluris faciendum hoc nostrum sit institutum, quàm illa, quas diximus, materia absurda, & prope modum inepta, quarum tamen & ipsarum utilitates non aspernamur: citra ullam hesitationem, hanc, quam auspicatus sum, telam hoc semihora spacio pertexere, & quid similitudinis inter Scholasticos & Vulpeculas dari possit, quamvis hæc in mentem vrs non venerint, qui auctores hujus fuere nominis, ostendere conabor. A vobis peto Auditores, ut aures benevolas mihi prebeat, nec miremini, si interdum ea, quae longius petita videntur, accersam, & hoc in theatro spectanda nobis exhibeam.

I. Convenientia penes mansuetudinem & humanitatem.



Am itaque rem aggrediar ipsam, & primam hujus collationis partem à Vulpecularum & Scholasticorum mansuetudine ducam.

Vulpe

Vulpes Caspia, qua numero plurima, tam esse cicures & mansueta feruntur, ut citra noxam ullam non tantum subeant rusticorum casulas, sed etiam ingrediantur urbes, & catellorum instar blandiantur hominibus, & obvijs adulentur. Huic Vulpecularum mansuetudini, Scholasticorum affabilitas, humanitas, & comitas, alieque virtutes ὁμιλιτικῆς, quas ferè proprias habent & peculiare examussum respondent. Nec enim quemquam fore putamus, qui hanc morum facilitatem literatis subtrahere, & ita vim manifestissima veritati facere, quod nihil aliud est, quàm soli obloqui velle, cupiat. Si vobis, Auditores, non est molestum, ὡς ἄδει quaedam, id quod aliquoties in politicis ab Aristotele fieri certum est, rem veram explanare conabor. Celebrentur nuptiæ, apparentur epulae, accumbant mensis nobiles & ignobiles, docti & indocti, sed fortuna aliquantò lautioris, milites & armorum expertes, quæ convivia plerumque tandem inconvicia desinunt. Si post missum unum & alterum, vini quæ liberaliorem haustum (sub initium enim omnes Pythagoricos esse, & perpetuum vovisse silentium iures) paulatim incallescere jam, & se invitare mutuo, & cadere sermones cœperint: tum verò nihil est facilius, quàm ex fronte, ex oculis, è gestu corporis, è dictis & factis colligere, quinam verè literati sint & eruditi, qui rudes & liberalibus à disciplinis alieni. In his facies Tragica & Titanica, mores ad fastum & superbiam compositi, sermo praefractus, asper, durus, & inconditus, quæ omnia conversationi inimica sunt, & adversa. In illis frons libera & aperta, oculi bilares & blandi, gestus venusti &

Alia.
Gelsa.

decori, oratio benevola, gratificandi voluntas amica, & haec omnia quasi melle quodam et saccharo humanitatis perspersa. De ijs quae plerumque sunt, & ab illis, qui genuini sunt scholastici, loquimur. Scimus enim interdum & illiteratos morum & verborum suavitate non vulgari prae ditos, & in omni convictu elegantia studiosos. Scimus interdum & doctos viros non absimiles Xenocrati, quem morosiores Plato saepe numero Gratijs sacrificare jubebat. Haec igitur ipsa quae de jam quaerimus, humanitas partim est à natura, quae hoc Φιλτεον multis, & maxime quidem ijs, qui apti ad literarum studia, in sevit: partim à peregrinationibus, quae familiarissima scholasticis mites & tractabiles efficiunt homines: partim à rebus adversis, quibus plurimi mansuescunt, & quas innumeras ordo noster ferre cogitur: sed maxime tamen bonis à literulis, quibus de verissime Poeta:

Laert.

Ovid. lib.
2. de ponte
Eleg. 9.Laert. in
Arist.

————— Didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec finit esse feros.

Et prudenter Aristippus, qui roganti, cur Filium literis imbueret? ne, inquit, in teatro lapis supra lapidem sedeat. Praclare Gellius libr. 13. c. 15. Humanitatem veteres appellabant id prope modum, quod Graeci *αιδεα* vocant, h. e. eruditionem & institutionem bonas in artes, quas qui sincerè cupiunt appetuntque, ij sunt vel maxime humanissimi. Hujus enim scientia cura & disciplina ex universis animantibus uni homini data est, unde & humanitas appellata. Postmodum verò idem significare coepit, quod *Φιλανθρωπια*, hoc est dexteritatem quandam & benevolentiam erga omnes homines promiscuam, nec ineptè quidem cum liberalibus à disciplinis partem maximam profisciscatur. Nihil verò est, quod facilius

nobis

nobis animos hominum adungere possit, & benevolentia diuturna conciliare, nihil quod pacem & concordiam alere felicius, quam vita consuetudo remissior, qua proclivis est omnem ad comitatem & facilitatem. Unde quidem, & sacra litera passim hanc morum à nobis dulcedinem exigunt.

Epist. ad
Ephes. 4. &
Colos. 4.

Tristes verò qui sunt & austeri, morosi & tetrici, homines irrisibiles & Tenedij, asperiores Echino, Thymbra, & Sinapi vititare soliti, quos putes in antro Trophony nuper esse vaticinatos, ne illi quamvis nihil aliorum desit bonorum, ab omnibus tamen habentur odio, nec minus quam rabiosi canes metuantur, & precipiti fugam deseruntur.

Hac comparatio non omnibus competit Vulpeculis, sed Caspijs saltem uti diximus, Deinceps ad ea qua communiora, deveniemus.

II. Penes loca & sodalitia.

J N Creta, qua jam Candia Venetæ ditionis insula, nullæ reperiri Vulpecula scribuntur.

Gesn. ex
Soli. &
Plin.

Sunt verò quod cum Epimenide Paulus inquit:

Κρητες αιει Θεουσι, κακα θνησια, γασερες απυτοι

Ad Tit.
cap. 1.

Cretenses semper sunt mendaces, mala bestia & ventres ociosi. Neque de nihilo veteres dicere solebant: Triacappa esse pessima, quibus Cretenses, Cilices, & Capadoces notasse putantur. Et quis nescit illa pervulgata, Cretensis Cretensem, Cretensis cum Aegineta, Cretiza cum Cretense,

Herod.
lib. 6.

Iliad. 1.

In 10. O-
lymp.
Plat. 5. de
Ll.

Ælian. lib.
12. V. 11.

Stob.
serm. 12.

Lib. 1. epist.
19.

Et si qua hujus generis alia, quæ doctioribus haud incognita.
Hic quoque Scholastici aliquid Vulpecularum simile
habere videbuntur, quod tamen curiosuli nimis anxie
fortasse questum esse dicentabunt. Sed hæc sinistra judi-
cia non sunt cura Hippocliidi, nec qui nimium sapientes
amandi. Literati cum hominibus fraudulentis & perju-
ris, nihil habent commercii, sed eos qui aliud sentiunt,
aliud loquuntur, non minus quam portas inferorum
oderunt, & ejusmodi impostorum umbras quoque bonis
officere norunt. Sciunt enim veritatem, quod ait Pinda-
rus, Jovis esse filiam, & cum Diis tum hominibus du-
cem ad omnia bonorum genera, nec quicquam Deo nos si-
miliores efficere, quam beneficentiam & veritatem.
Sciunt mendacium ex inferorum lacunis effluere, & instar
aqua stygia, si præcordiis concipiatur, alligare viscera,
& incautiores strangulare, nec unquam ad senectutem
evi, quod ait Sophocles procedere, & tandem hoc mercedis
cultoribus suis ferre, ut ne vera quidem dicentibus fidem
quisquam habeat, quod a plano cuidam usu venisse graviter
& eleganter Horatius commemorat.

Deinde verò quonam pacto Scholastici familiares
ijs, qui vel parum vel nihil distant à bestijs esse possint?
cum hoc unum agant bona literæ, hoc appetant cupidè,
& querant sollicitè, ut homines cum simus, non tantum
plantarum & animantium, sed etiam hominum vitam, quæ
in sapientiâ & virtute posita, vivamus? quinam viri do-
cti cum ventribus in voluptatum cæno demergi possunt?
cum tota Philosophia, nihil sit aliud, quam meditatio
mortis, qua animus & voluntas hominum, eruuntur

ex hujus

ex hujus vita sordibus, & ad rerum divinarum contemplationem, appetitum, imitationem, & similitudinem evebuntur.

III. Collatio penes prudentiam.

Sed ad *Vulpecula prudentiam, in qua* singulare ratiocinationis acumen, quod cum alibi, tum maxime in parando victu, & omnium in periculorum & molestiarum depulsione elucet, ut accedamus necessum est.

Gesn. variis est scriptor.

In Vulpeculis singulare ratiocinationis acumen.

Mirum hoc vobis, Auditores, videbitur, sed animis pendere desinetis, si *Vulpeculam* egregium esse dialecticum, nec *Chrysippo* quicquam inferiorem, demonstraro. Tam verò mihi facile hoc est factu, quam *Vulpes*, ut habet proverbium, *pyrum* comedere potest. Sed agite, hunc *Logicum* nostrum in scenam producemus. *Ibraces* *Istrum* frigore concretum transaturi *Vulpeculam* prae mittunt ad crassitudinem & soliditatem glaciei explorandam. Illa suspensio gradu sensim accedens, aurem glaciei admovet, & siquidem eque subterlabentis sonitum audierit nullum, ulteriorem ad ripam audacter progreditur,

Plaut. in Mostel.

Plut. de soler. anim.

Et cum-

Et euntem Thraces absque metu ullo satis jam firmam esse
glaciem colligentes subsequuntur. Si verò strepitum fluentis
aqua perceperit, continuo regreditur, nec ut pergat ullis cla-
moribus se cogi patitur. Sic enim illa secum: quod sonitum
edit, movetur: quod movetur non congelavit: quod non con-
gelavit humidum est: quod humidum est subsidit. Adde com-
plexionem: Ergò quod sonitum edit, subsidit, nec sine submer-
sionis periculo transiri potest. En vobis, Auditores, sortem in-
tegrum, & valde probum, cuius ne ipsos quidem Peripateticos
pudere possit.

Victus quærendi industria.

Sed attexemus alia, qua non mino-
ris prudentia, & circumspèctionis argumenta
sunt.

Gesn. ex
Varrone
& aliis.

Vulpecula si venatum exeat, nunquam rectâ viâ ince-
dit, sed varias per ambages eò contendit, ubi se aliquid prædæ
capturam ariolatur. Unde quæso Vulpes quasi volvipes dici
quibusdam putatur: quamvis alij à volando nomen ipsam
accepisse autument, quam Etymologiarum licentiam in me-
dio jam relinquimus. Satis nobis fuerit ostendisse animantis
industriam in victu quarendo.

Gesn. ex
Albert.
Constant.
& aliis.

Si esuriant Vulpecula, nec aliquid alterius prædæ se offe-
rat: primùm in terra rubra se volutare scribitur, ut tota san-
guine sparsa videatur; tum verò si prætervolantes avium
greges conspicitur, mortua similis humi supina recumbere,
oculos claudere, rostrum alterutrum ad latus divertere, lin-
guam exercere, spiritum comprimere solet, & prorsus inter-

emta

emta speciem pra se ferre. Advolant aves carnivora, ja-
centi insultant, & cadaveri se insidere persuasum habent.
Mox illa quasi reviviscens proximas quasq; corripit, & hac
escâ ventrem avidum magna cum voluptate pascit.

Eadem captura pisces caudam in aquam demergit, & si
jam villis suis pisciculos involutos senserit, illam repente
extrahit, & pradam excutiens eam in cibum lata lubensque
vertit.

Gesn.
Ælian.

Eodem ferè astu eandem caudam vel suo ex cavo exe-
rit, vel nidulis vesparum inserit, in quam dum illa suis cum
stimulis involant, & iracunda pilis inhaerescunt, eam Vulpe-
cula vel arbori, vel parieti illidit, & vespas obtritas loco obsor-
nâ avidè ingerit.

Ælian.
Gesn.

Vulpecula cum leporibus, seu cū cuniculis interdum collu-
dit, & nihil tale metuentes abripit, jugulat, & absunit.

Ælian.
Gesn.

Echinos terrestres seu Erimaceos, qui suis se spinis in pile
speciem involvunt, nec prèndi morsu possunt, vel suo, quod in
ipso effundit, lotio suffocat, vel pronos evertit, & supinos sta-
tuit, neque difficulter medios per aculeos molliores ad par-
tes rostro suo penetrans ventres jacentium laniat, & jam ex-
armatos devorat.

Ælian.
Gesn.

Defensio, & molestiarum depulsio.

NEquè verò minus est ingeniosa in expe-
diendâ salute sua, si periclitetur, & omnibus in mo-
lestis depellendis.

A canibus si surgeatur, caudâ suâ, quam perminxit,

Albert.
Text.

oculos sequentium diverberat, qui & fœtore & acrimonia lotij graviter offensi vel planè subsistunt, vel segniter rem gerunt. Aut si hac technâ nihil proficiat, ad vim à dolo vertitur, & dentatissima eum sit, imminentium ora morso petit, lacerat, & discindit, qui dolorem non ferentes jam victores succumbunt, & turpissimam in fugam conjiciuntur.

Iliad. x.

Plut. de
solert. ani-
mant.

Aquila communis hostis est Vulpecula & Serpentis, qua animantes, cum hanc avium reginam sola sustinere non possint, secundùm illud Græcorum, οὐρα δὲ ἐρχομένη, societatem coëunt, quam συμμάχια Græci vocant, & virtutem arte juvantes, ita superbientem illum Jovis armigerum excipiunt, ut licet impetu vehementissimo inferatur, tamen nec unguum raptu, nec rostri laniatu, nec alarum plausu & percussione vel hilum proficiat, sed insectâre, neque rarò saucia salutem fugâ sibi quarere cogatur. Hac defensionis sunt, que uti maximè necessaria, ita ferè major est evasione & declinandorum periculorum hac in fera Libyca petita.

Gesn. Op-
pianus.

Rarum est ut vulpecula senex vel egestas in scrobes incidat, vel capiatur à canibus, vel implicetur laqueis, vel retibus involvatur, vel jaculis conficiatur, cum suspecta habeat omnia, que nova & insolita, nec ad ea nisi multiplici factò periculo propius accedat.

Gesn.
Erasm. in
adagiis.

Cubilis & domicilij sui, quod ἐπίστυλον vocant Poëta, multos fodit aditus, & exitus multos, sed à se invicem longè distito ne vel à canibus ambiri, vel retibus circumdari & concludi possit. Sic enim, una si obsideatur porta, facilè per aliam evadere potest, & tutiora in loca se recipere.

Plut. in
Hannib.

Idem fecisse legimus Hannibalem, qui cùm Prusiam ad quem confugerat, aliquid monstri alere suspicaretur, &

presen-

presentem Flaminium, cuius parens in pralio ad Thrasimenum occubuerat, male metueret, suo in diversorio septem cuniculos subterraneos egit ad capeffendam fugam, si qua repentina necessitas ingrueret. Regij verò milites cum jam adessent Hannibalem capturi, ille quidem suos per meatus elabi conabatur, sed cum locum omnem custodijs teneri sentiret, venenum hausit, & morte voluntaria, qua Romanis ignominiosissima, manus hostium effugit. Vulpes incumbens ventri angustas per cavernas & rimas irrepere potest & erepere; quâ industriâ non tantum victum sibi colligit, sed etiam vitam & salutem suam presenti discrimini frequenter eripit. Aristomenes Messenius à Lacedemoniis captus profundum in carcerem princeps deiciebatur, ut aut lapsu aut fame periret: sed labentem aquila sustinuisse fertur, ut illaesus ad Ceada fundum (hoc enim nominis erat carceri) deferretur. Dum igitur inops consilii desidet, & omni spe vita sublatâ mortem invocat, vulpeculam adesse sentit, & cada vera sociorum, qui ibidem perierant, ambedere. Mox ejus arripit caudam & fugientem occultas per fauces eo usque sequitur, donec angustiore ad specum, per quem tamen aliquid lucis illaberetur, deventum esset. Hic ille bestiam dimittit, & ut miseris in rebus solertes sumus & ingeniosi, manibus eruere terram, egerere lapides, & laxiorem facere meatum incipit, tandemq; feliciter quasi ex inferis emergens ad superos redit, & domum ad suos revertitur: quod cum nunciaretur Spartanis, omnes Aristomenem revixisse putabant. Sed in viam nos recipiemus.

Vulpecula, qua hostem capitalem habet lupum, cuius vim eludere & elidere difficulter potest, scillam

Gefn.

Plaut. in
Messen.Gefn. ex
Tomast.

berbam nidulis suis imponit. Hanc enim lupi occulta quedam
ἀλυσταβεία fugiunt, & eam si attingant è vestigio convulsio-
 nibus Epilepticis corripuntur.

Gefn. ex
 Stumpf

r. oper. &
 dier.

Vulpes licet avidissimè prædis inbriet, viciniore tamen
 villas haud infestat, nec illorum est ex numero, quos *κακῶς*
γέτωνας, & ob id *μύατα* Hesiodus appellat. A vicinis enim
 sibi & catulis suis plus impendere periculi, si irritentur, quàm
 à procul distitis, à quibus minus intercipi potest, facillè pro-
 spicit.

Gefn.

Matth. 5.

Vulpecula, si laqueo capiatur, pedem sibi præmordere
 & tripes aufugere dicitur, optabilius esse ducens unius partis
 jacturam facere, quod parum abest, quin sacris literis sit con-
 sentaneum, quàm vitam omninò perdere, & profundere.

t. Georg.

Simile quiddam Castorem facere perhibet, qui cum sciat suos
 propter testiculos à venatoribus se peti, eos dentibus præmor-
 dere, & sequentibus obicere fertur; quod tamen non est nihil
 cause, cur in dubium vocetur. Cum enim intra corpus, seu ca-
 vum ventris hujus animantis situm sit illud membri, quod è
 Ponto nobis mittit virosa Castoreà, certè fiber sibi non magis
 sua demere, & demerere potest virilia, quàm ursa massam
 informem parere, quàm Elephas per decennium uterum ge-
 rere, quàm Cygnus morti vicinus Poëtarum in modum canere,
 quàm viperæ eroso matris latere in lucem prodire, quàm
 Basiliscus ex ovo galli veterani emergere, quàm denique Lea-
 na cum Leunculo matricem effundere: quibus tamen fabellis
 ad hunc usque diem servili quâdam antiquitatis observantiâ,
 & stultâ credulitate suffragamur. Denique Vulpecula si in-
 festetur à pulicibus, hac arte, que tam ingeniosa est, quàm ri-
 dicula, hos suos & fallit & pellit hospites. Fasciculum sceni
 mollioris, aut pilos, aut lanas hinc inde collectas ore mordicus

Gefn. ex
 Alb.

appre-

apprehendens primò quidem caudam, qua motus anaclytica videri poterat, & posteriores pedes, mox verò partes quoque reliquas corporis sensim in aquas immittit: tum verò pulices, qui humoris impatientes, pedetentim sursum versus aguntur, & per ventrem, per dorsum, per collum ad usque caput crepunt, quo & ipso demerso, in manipulum usque seu fœni, seu pilorum procurrunt, quem illa continuo in profluentem abjicit, & ita libera tandem ab his tam molestis alumnis in ripas evadit. Mentiar ego, si ulla muliercula, qui sexus tamen callidissimus, & toti nationi pulicum inimicissimus, tam ingeniosè hos abigere prædones & malè perdere unquam potuit.

Hæc Vulpis prudentia fecit, ut in apologis, si cum cæteris introducatur animantibus, semper cordatior & circumspetior esse perhibeatur. Verbi gratia: cum insidentem arbori corvum suo caseo defraudat: cum leonem in specu suo decumbentem reliquarum animantium vestigijs, qua introrsum vergebant omnia, sed nulla retrorsum, territa accedere formidat, quem apologum Rodolphus Imperator, quoties moneretur, ut cum exercitu in Italiam descenderet, in ore semper habuisse dicitur: cum sociæ leonis prædam scitissimè asini interitu monita partitur: cum vermiculum medicinam profitentem in seipso artis suæ experimentum facere jubet: cum uniuscujusque præstantiam non varietate pellis, & celeritate pedum, sed animi virtutibus æstimandam judicat: cum evadens è puteo hircum, in quo plus erat barba quàm prudentia, illudit, quod eò se demississet, unde reditus sperari non poterat: cum ei gratias negat agendas, qui verbis secum latentè celabat, sed interrim oculis & manibus prodebat: cum uvæ, quas saltu prehendere non poterat ac erbas esse dicitur, & lubens

Guspin.
Pillip. in.
Chron.

ac volens abstinet ab ijs, quibus potiri non potest: cum denique leonem bis terve conspectum non tantum non miratur amplius, sed etiam aggreditur & salutat: quae omnia singularem hujus animantis prudentiam commendare videntur.

Verum hic, scio, nonnulli excipient, hanc vulpecula industriam, calliditatem potius esse, & fraudulentiam, quam solertiam & prudentiam laude dignam. Age verò quisquis es, ô alopecomastix, facile concedemus callidam esse vulpeculam, quo nomine scholasticos, quod paulò post dicemus, admodum scitè refert, & eleganter repraesentat: sed interim fraudulentiam hinc effici & inferri posse negamus: aut si quae in ipso fraudi propiora, (quamvis nihil fidei cuiquam debeat hic noster Gymnosophista) ordini scholastico esse dissimilimam jam ante diximus.

1. T uscul.

Matth. 10.

Syr. cap. 25

Cicero naturam, inquit, callidissimo artificio corpus hominis fabricatam esse. Tu verò Deo & ordini causarum secundarum, quae providentia divina quasi funiculo trabuntur, & rota quadam impelluntur, fraudes & fallacias assignabis? Serpentis prudentiam, quam nos Christus emulari jubet, Syracides calliditatem nominat: Ergone Filius Dei nos tenebriones & sycophantas esse mandat? Columella, quem laudat agricolam, callidissimum nominat rerum rusticarum: quae certè calliditas non malitia est, non impostura, non furtum, non rapina, sed praeter agendi voluntatem, & facultatem impendendi, nihil aliud quam rei peritiam complectitur. Quin & illi, quorum purissima oratio, callidum iudicem non $\omega\epsilon\sigma\omega\pi\omicron\lambda\eta\pi\eta\nu$, non $\delta\omega\epsilon\sigma\phi\acute{\alpha}\gamma\omicron\nu$, sed prudentem & intelligentem causarum aestimatorem appellant. Ideoq; neq; rerum, neq; verborum satis scientes sunt illi, qui calliditatem vulpecula continuo malitiam & improbitatem interpretantur. Et sanè

non satis mirari possum iniquissima hominum iudicia, qui
 quæ alijs in animantibus probant, ea culpant in vulpecula:
 quæ in illis deprædicant, & emulantur, illa in hoc Philosopho
 nostro, in hoc promo condo, in hoc salutis suæ promacho, in se-
 ctari non verentur.

Reliquæ animantes & de victu sibi prospiciunt, & vitæ
 suæ consulunt, & hostes ulciscuntur suos, & omnes, dummodo
 possunt, molestias amoliuntur, non sine aliarum bestiarum in-
 teritu, & ipsorum quoque hominum detrimento. Et hoc quidē
 dum faciunt leones, tauri, elephantes, apri, multi piscium, ne-
 que paucula volatiliū, quibus de multo est Plutarchus in
 libello de solertiâ animalium, omnium ferunt ἐπισημασίας, &
 laudibus in cælum propè feruntur. Idem si & ingeniosius, &
 elegantius à misera fiat vulpecula, ab omnibus habetur odio,
 atro carbone notatur, maledictis impetitur, injurijs lacesta-
 tur, & tantum non ut publicus hostis proscribitur.

In Scholasticis itidem

Summa rationis sagacitas.

VERUM hanc ad Vulpeculæ
 ἀγχινοίαν, ad rei familiaris curam, ad injuriarum
 & molestiarum declinationem, ut componamus
 Scholasticorum industriam oportet. Nec enim ullum genus
 hominum est, quod rationis acumine facilius, quàm Schola-
 stici angustissimis è fontibus latissimarum disciplinarum
 fluvios, & ipsa propè maria derivare possit. Paucula sunt,
 quæ natura nobis nota, sed tamen sunt nonnulla, quid-
 quid tandē Peripatetici arguentur, quorum philosophiam

Theologia Paullina jure meritoq; fasces submittere & ancillari jubemus. Sensu longè quidem plura percipiuntur, sed tamen non nisi exteriores rerum forma & operationes, quæ veram exhibere scientiam non possunt.

Ex his itaq; neg; valdè multis, nec admodum exquisitis per tubos quasi & canales collectionis syllogistica infinitum propè chaos omnium artium, quæ humanitatis nomine censentur, in hominum vita defluxit, ad eò quidem: ut jam verum esse desierit, quod olim dicere solebant, maximum quod è minimo nasceretur esse Crocodilum, si quidem ad plura, quàm solas ad animantes, referatur.

Herod.
Euterp. li. 2

Possunt quidem unum ex alio efficere & inferre homines quoque rudes & indocti: sed quis est, qui nesciat Duces multò certiores esse Indolem generosam, Institutionem diurnam, & multiplicem experientiam, quæ omnia Scholasticorum, quàm natura vires languidulas, & usum tumultuarium, quæ instar habent navicularum, quas sine magistro, sine gubernaculo, sine remis, sine velis, sine anchoris fluctuantes temerè hinc inde jactari videmus. Quinam igitur virgula illà divinà, quàm non corylorum sylvula, sed Logicorum arcule nobis subministrant, illud veritatis in profundo delitescens aurum eruerunt? Eruerunt Scholastici. Qui supra cælos animis evolantes finitam esse mundi molem edocuere? Edocuere Scholastici. Qui stellarum altitudines, distantias, & motus numerarunt? Numerarunt Scholastici. Qui solem terra majorem ex umbra cono simili firmissimè demonstrarunt? Demonstrarunt Scholastici. Qui ex motibus corporum cælestium varios per rationem sinus & numerorum anfractus ante multos annos Ecclipsium momenta colligere potuerunt? Potuerunt Scholastici. Qui denique soli terra

ambi-

ambitum, quot miliarium sit, metiti sunt? Metiti sunt Scholastici, qui ad vulpecularum nomen & acclamationem dudum erubescere desierunt.

In finita Theoreticis è disciplinis exempla dare poteramus, sed parcemus opera, & è practicis unum saltem, quod tamen plurimorum instar est futurum, afferemus.

Imperium Germanicum, quæ patria nostra, maximis cum difficultatibus conflictari, & plenum esse confusionis, & injuriarum etiam illiterati norunt: sed plerique tamen non dubitant, quin, cum bæ querelæ sint per vetustæ, & multorum seculorum hæc incommoda, deinceps quoque, saluum & incolume ad usque lapsum magni illius lapidis, de quo Daniel, seu ad finem usque mundi sit futurum. Quid verò Scholastici, quid viri docti, qui prudentiam civilem partim è præceptis Politicorum, quæ d'aroiac, partim ex historijs, quæ vicem gerunt usus & experientie collegerunt, hæc de re sentiunt, quidnam? Dicam apertè quicquid tandem alijs videatur. Imperium nostrum simile esse videtur adibus antiquis & ruinosis, quarum lateres fracti & dejecti, trabes cariosæ & putridæ, parietes rimosi & inclinati, fundamenta labilia & subruï cæpta, ita quidem: ut hæc in domo, propter ruine periculum, ipsi quoque mures vix diutius nidulaturi sint & moraturi. Ex causis enim antecedentibus, quæ in medio jam sunt posita, & illæ quidem efficacissimæ, aliud inferre non possunt: quàm Imperium, quod diximus, Germanicum, nisi DEUS saniores ad mentem, & consilia moderatoria superiores Magistratus deflexerit, aut funditùs interiturum, aut sensurum mutationes, quæ ipsa πικρὰ εὐχὴ non multi leviores sunt futura. Et hoc quidem colligunt ex summi Magistratus neglectu pudendo: ex ordinum Imperij mutuâ dissidentia, metu, odijs, consiliis insidio-

Daniel. 2.

Ælian. lib. 1. V. H.

sis, conspirationibus, & religiosis perjuris: ex subsidys nationum exterarum, quae utrinque jam accicantur: ex inity bellorum, quorum incendia sumare jam, & scintillas dissipare passim incipiunt: ex direpto jam dudum Imperatoris patrimonio, & arary publici inany & araneis: ex immortalitate controversiarum forensium in Camera Imperii: ex vicinorum Principum & civitatum liberarum disidy nunguam desituris: ex superiorum tyrannide in ea propè omnia, quae misellorum subditorum: ex dispoliatione veterum commodorum & beneficiorum, quae olim populi: ex inaudita cum frequentia, tum inclementia & duritie novorum onerum & servitioru, quae & indefinita, & ferè semper esurialia: ex oppressa multitudinis indignatione, fremitu, suspirijs, imprecationibus, & conatu rerum, si ferat occasio, novandarum: & tandem ex desertione provinciarum, quae maximo cum nationis nostra opprobrio ab Imperio avulse sunt. Ab his itaq; certissimis causis gravissimarum mutationum cum in Republica nostra sensim omnia moveri, turbari, & misceri sentiant Scholastici: teperare sibi non possunt, quin gemebundi cum Heet. exclamet:

Illud dies veniet fato cum Troja peribit.

Illud. §.

Tardiuscula ferè sunt ha conversiones, & plurium annorum, ideoq; minus incurrunt in oculos imperitiorum, nisi cum facta jam sunt, haud aliter quam motus Solis & reliquaru stellarum in caelo. Nostra tempora viderunt me G. G. cruentissimam inferioris Germania, cujus quae cause fuerint, lippis etiã & tonsoribus notum est: quamvis pleriq; iudicia & affectus suos non ipsis rebus attemperent, sed res sua ad iudicia & affectus suos trahere conentur. In hoc Imperii nostri statu tam & turbulento & pulverulento omnibus propè malis avertis, hoc est, remissio & moderatio mederi poterat: sed plerique Magnatum, qui ferè superbi & capitosi ad *Int. Civ.* seu *intensionem*,

tensionem, rigorem, severitatem & exaggerationem publica-
 rum calamitatum summam per ignorantiam confugiunt, &
 verè camino, quod dicitur, oleum affundunt. Pera seu Galata,
 quæ civitas ex adverso Constantinopolis sita, cujusdam in do-
 mus pariete marmoris, quod altitudine trium pedum, & lati-
 tudine quatuor hæc imagines incise feruntur. Primò quidem
 lupus villosus, rictu oris ad aures usq; descendente, anteriori
 pede dextro sceptrum tenens, sinistro clypeum. Tum verò
 Leo & ipse in pedes erectus, qui dentibus lupi clypeum mor-
 dicus arripit, sed unguibus rictum & sceptrum ejusdè petit.
 Tertio loco sculptus est Elephas, loro seu zona latiore totum
 corpus ambiente cinctus & vinctus. Quartò pueri duo & illi
 quidem nudi, quorum alter alterum summis impositu hume-
 ris, quod lascivientes facere solent, bajulat. Tandem verò mō-
 strum non minus quàm Horatianū illud in arte variarum ex-
 animantium figuris constat. Facies, pectus, & venter, hæc
 omnia virginea sunt, & muliebria: pilos habet passos & diffu-
 sos, caput pileolo sed blanestorio obtectū: canit pandurà quæ
 sinistra tenet: uti pectinè, quo moventur fiducula, dextrà: alis
 & cruribus, quæ pennis & plumis, ut & reliquum corpus obsita,
 tum verò pedibus nodosis, & unguib. acutis aquilã represen-
 tat. Deniq; caudã desinit duos in serpentes, qui varijs quidem
 impliciti spiris, sed capitibus disuncti sunt & separati.

Hæ effigies quibus nihil adscriptū, quod sibi velint, Græci
 doctiores baud ignorat. Ajunt illi Lupum referre Imperatorē
 Turcicū, Leonē Venetos, qui alacriter suã tueantur libertatē:
 Elephantem Africam & Asiam anteriorem, quæ dudum ser-
 vitutis Musulmannicæ jugum acceperint: pueros nudos Gra-
 corū lasciviã, imbecillitatem, stulticiam & incuriam, quib. se-
 ipsos adhuc usq; diè perditū eãt. Illud verò monstrū Germani-
 cū Imperiū exprimere, cujus summa capita luxui mæcipata sint,

Arist. 6.
pol. cap. xi.Heber. in
servitute
Agyptia.

p. 357.

nihilq; minus, quam patria salutem curare sui muneris esse ducant (qua tamen culpa non omnibus impingenda, Alas & pedes Imperii ordines, qui adhuc sint reliqui, sed aliarum partium genuinarum ope destituti. Deniq; serpentes in quos divisa cauda, dissidentiam, odia, dissensiones occultas, molitiones fraudulentas, & exitiosa consilia, quibus pars una deprimere cupiat alteram, nobis exhibere. Sed de his intelligentibus sat dictum.

De ratione victus quarendi, qua non minus in Scholasticis, quam hoc in animante, expedita, paucula deinceps monerimus.

Victus parandi industria.

Nihil enim literatis est facilius, quam necessaria vitae toleranda subsidia minimo negotio sibi parare, ubicunq; locorum degant: sive per Syrtes iter aestuosas, sive facturi per inhospitalē Caucasum, seu qua loca fabuolus lābit Hydaspes. τέχνη τὴν ἐσπερῆ, καὶ τὴν τέχνην, inquit Agathon apud Aristotelē, & verissimè quidem inquit. Nec enim artes bonae, si quis eas probè didicerit, & prudenter factitarit, à bonà fortunà, hoc est, ab honoribus & necessariâ rei familiaris copiâ unquam disjunguntur. Omnis terra alit artem, τὸ τέχνην ὁ πᾶσι γαῖα ἐκτρέφει: quod in ore frequenter habebat Nero, cum Mathematici prædicerent: fore ut aliquando regno pelleretur. Sua cuiq; ars pro viatico, eademq; mortalibus infortunij portus est, λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη: quam in sententiam & alia perquam multa circumferuntur. Praclarè Aristippus interroganti quid discriminis esset inter doctum & indoctum? Mitte, inquit,

utrumq;

Hor. libr. 1.
oda. 22.
Lib. 6. Eth
cap. 4.

Sueton. in
Neron. c.
40.

Laert. in
Aristip.

utrumque nudum in terras alienas, & videbis. Divitias itaq;
 & colligere & tueri, quod λήψω & Φυλακὴν nominat Aristo-
 oteles, easq; benè quā δόσον, quā δαπάνην collocare viris doctis,
 seu vulpeculis scholasticis tam facile est & proclive, nihil ut
 minori negotio effectum dare possint: si modò diem ita disper-
 tiri velint, ut pars una bonis literulis, secunda corpori curan-
 do, & tertia rei faciunda impendatur. Sunt enim multi be-
 luones librorum, qui legendo, qui meditando, qui scribendo à
 summo mane ad stellam usq; vespertinam, seu potius adusque
 noctis conticinium, ijs quos diximus libris non tantum indor-
 miunt, & impallescunt, sed etiam immoriuntur: quæ tamen
 intemperantia minimè omnium probanda, cum ita nobis vi-
 vendum sit, ut diu vivere, ita laborandum, ut diu laborare, ita
 ferendum, ut olim messem quoque facere possimus. Nihil itaq;
 minus difficile est ordini scholastico, quàm si per ocium liceat,
 ditescere, & Divum illum claudum ac cæcum hospitio exci-
 pere. Non tantum n. bonas literulas, quæ supra quàm dici potest,
 questuosa sunt, habent cognitæ, sed etiam frugales sunt (cer-
 tè debent esse) qui acquirendi modus optimus est, & certissi-
 mus. Sic enim ea, quorum opus, à nobis ipsis mutuo sine usuris
 sumimus, & quæ accepta nunquam restituere cogimur, nec
 ullis à creditoribus excarnificamur. Et scimus omnes siccam
 & lucem optimam, & animã sapientissimam, neque bonis in-
 Scholasticis, & verè literatis eos amplius esse numerandos,
 qui paulatim nocturno certare mero, puterç diurno incipiunt,
 ipsumq; vivere nihil aliud, quàm bibere esse ducunt. Deinde
 verò quidquid est χερμαλισμὸς id exactè norunt, & conqui-
 rendarum opum rationes memoriter in numerato habent viri
 docti, sive ad agriculturam vel nudam, vel constitam Φιλὴν καὶ
 πεΦυτευμένην, animum adjicere: sive vitam pastoriciã agere,

4. Eth. cap.
1.Heraclitus
apud Stob.
serm. 17. ex
Muson.Horat. lib.
1. epist. 9.

sive operam dare venationi, & avibus, feris, ac piscibus insidiari (quod tamen dominium in animantes brutas sola ferè jam sibi nobilitas vendicat) sive mercaturam facere, sive alias rationes administranda rei domestica, quarum multas habet Aristoteles, inire placeat. Ad hac omnia paratissimus est homo doctus, qui partim è scriptis veterum simul & recentiorum depromit, partim usu non longi temporis, cum benè se habeat Theoria, sensim colligit, partim à senibus Corycijs, quos inter versari non erubescit, ea discit omnia, quæ ambitu suo prudentia economica complectitur. Unum Thaletis exemplum adducemus, quod licet vetus quaedam videatur esse naria, tamen ejus ne ipsum quidem Aristotelem & Diogenem Laertium puduit. Is igitur cum maximam olcarum fertilitatem ex astris prospiceret, Mileti & in Chio non quidem omnè coemit oleam antequam florere cœpisset, quod ait Cicero, nec n. illud sine ingenti pecuniarum vi fieri potuit, sed trapetas saltem & praela seu officinas olearias exiguo precio conduxit, quas postea quanto vellet elocās divitias huad contēnendas brevi coegit, & ita testatum reliquit: Philosopho difficile non esse ditari modò aliquid temporis & opera in opibus congerendis velit ponere, Eos verò qui ab omni rei familiaris cura Philosophos arcēdos putāt, aut helleborū bibere, aut cepas edere & plorare jubemus

Depulsio molestiarum, & defensio.

DEniq; (hoc enim tertium & ultimum est in partis utriusq; prudentiâ) ad periculorum depulsionem, & ad defensionem necessariam certum est, non minus animi & ingenij esse scholasticis quàm vulpecula, quod ante diximus.

Cic. 1. off.

Duo sunt genera decertandi, unum per disceptationē, alte-

rum

Lib. 1. politic.

Libr. 4.
Georg.

Lib. 1. politic.
7. in Thalet.

Lib. 1. de
divin.

rum per vim, quorum illud propriū hominū, hoc verò belluarum. Jam igitur si ratione & oratione pugnetur, siue in scholis fiat illud, siue in foro & in curiā, siue in aliis vitæ partibus, nemo scholasticis ad vim inferendam & propulsandam paratior & alacrior. Habent enim arma, quibus & seipsos tueri, & aliis nocere possunt: habēt argumentorū aculeos: habēt eloquētiæ stimulos, quibāta fodiūt adversarios. sapē numero valentissimos, ut continuo tergū vertant, & retrò pedē referant.

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem,
Pressit humo nitens trepidusque repente refugit.

Virg. 2.
Æneid.

Archilochus Lycambem propter denegatas Filie nuptias ita Jambis virulentissimis laceravit, ut præ impatientiā hujus ignominie & sibi ipsi & omnib. filiabus, quot quot habebat, laqueo fauces elideret. Nec desunt alii, quibus idipsum licet & autoritate & potentiā excellerēt, usu tamen venit, si cū vulpeculis scholasticis in arenā descendere, & periclitari fortunam auderent. Manu verò si res gerenda, ferro si cernendū, si vis vi repellenda, quod tamen non faciunt nisi extremā necessitate cogātur, nec animi præsetia, neq. vires corporis, nec industria deesse possunt scholasticis: Qui n. habēt quod impedere queāt, plerūq. non tantū literis operā navant, sed etiā, ut in Musicis, ut in pieturā, ut in palastrā, quod fieri jubet Aristoteles, solertes dare seipsos possint, enituntur. Idem itaq. si res & occasio ferat in orē habent, quod Turnus Virgilianus:

Acron.
Ovid.

Lib. 8. Polit.
cap. 3.

Et nos tela pater, ferrumq. haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.

Libr. 12.

Plura scholasticis arrogare nolo, quā ipsa veritas rei patitur: sed tamen scio Ducem militia fortissimum, & felicissimum, ante non multos annos in superiori Germaniā vixisse, qui sepius consuevit dicere: se tot in

bellis,

bellis, in quibus ordines duxerit, milites animosiores & alacriores sub signis non habuisse, quàm bonarum literarum studiosos. Neq; verò docti qui sunt, facile periculis non necessariis sese obijciunt, sed eos cavent, quibus nigra cauda, ab ijs abstinent, qui fœnum in cornu gerunt, nihil in eos scribunt, qui proscribere queunt, procul à Jove, ut procul sint à fulmine, secedunt, & fortunas mediocres vel privatos intra parietes, vel in scholarum umbraculis, vel liberioribus in Rebus publicis, vel infrequentioribus in aulis ipsi præferunt immortalitati. Quin si petantur à potentioribus, quibus impares se agnoscunt, de Ajace quodam sibi prospiciunt, cujus sub clypeo velut Teucer Homericus tutò latitare, & nihilominus tamen sagittis suis hostem ferire queant: vel imitantur ranam Ægyptiam, quæ si varum piscem habet obvium, continuò demordet frustum arundinis, & id obliquum gerens ore mordicus tenet, ne tanto ab hoste deglutiri possit.

Plura diximus de Vulpecularum & Scholasticorum prudentiâ, quàm tempus ferre videbatur. Super sunt paucissima, quæ si leviter saltem perstrinxerimus, dicendi finem faciemus.

IV. Quâ Vulpis calorem & Scholasticorum Philoquæsiav.

Albert.



Vulpes non viva saltem animal est calidum, sed ejus quoq; demortua pellis, & adeps, & oleum, in quo decoquitur, calefacere perhibentur.

Scholastici toti amore discendi ardent, & cupiditate flagrant, sibiq; vitam injucundâ esse putant, si à literarum studijs quod interdum fit in bellorum motibus, & contagijs morborû,

probi-

prohibeantur. Et hanc quidem Φιλομαθίαν, si qui vel nullam, vel languidulam, & vix tepidam in se sitam esse senserint, ne illi bonos inter Scholasticos non magis, quam asini inter equos generosos, quam anser inter cygnos, quam lepus inter lusciniās locum habere possunt. Μουσικὴν ἕως διδάσκει: amor docet Musicam, quem eundem πάντων ἐπιχειρητὴν qui conetur & aggrediatur omnia Plato, nominat, cuius in convivio Socrates animā hominis si è cælo devolet, & corpori immergatur, corripi, inquit, sopore, & eorum omnium, quæ jam ante norat, oblivione capi, sed ministerio sensuum, & amore scientiarum ac virtutis, qui discutiatur hunc veterum, paulatim expergeri, & sensim eorum, quæ in cælo quondam cognita habuerat, reminisci: quæ origo sit omnis & sapientia & probitatis. In virtutis quoque studio non probatur tepidi, sed ut aut calidi simus, aut frigidi postulatur.

V. Quâ nocturnam Vulpecularum vigilantiam, Scholasticorum diligentiam.

Vulpecula non tantum interdium, sed etiam noctu venatum & pastum egreditur. Boni Scholastici dictum sibi putant omni de genere scientiarum illud Horatij:

— Vos exemplaria Græca |

Nocturna versate manu, versate diurna.

Emulantur itaque Demosthenem, qui agerrimè ferebat, si ante lucanā opificum industriā, vinceretur, & plus hauriebat olei, quàm vini, quæ causa fuit, cur Pytheas ejus oratio-

In arte.

Cicero 4. Tusc.

Plut. in Demosth.

nes lucernas olere diceret. Quamvis enim hoc genus lucubrationes interdum valetudini plurimum incommodent: tamen in literarum quoque studijs, multa non ut volumus, sed ut quimus facienda, neque vel etas nostra, vel sumtum parcitas, vel ingeniorum varietas, vel alia *ἄλλοις* semper hoc patiuntur, ut ad usque literam Zeta delati nostras terminemus operas, et sextantum horulas diurnas studijs nostris attribuamus.

VI. Quam *παμφάγαν* & *πολυμάγαν*.



Ed ad alimenta Vulpecularum, et Scholasticorum ad *πολυμάγαν* descendemus.

Eib. 1. p.
lit. cap. 3.

Tria sunt animantium genera, quod habet Aristoteles: quadam *καρποφάγα* sunt, quae rebus terra nascentibus et herbis ac fructibus, quadam *ζωοφάγα*, *σαρκοφάγα*, *ώμοφάγα*, quae muscis, vermiculis et carnibus, quadam *παμφάγα* quae utroque cibi genere vescuntur. Horum in numero et Vulpecula quae si carnes obveniant, saliare in modum opipare et apparatus epulatur: sin vero saltem in fructus arborum inciderit, non nauseat, nec obsonia viliora fastidit, et ita quidem mensas cum primas, tum secundas, ut cunque res ceciderit, boni consulit. Interim tamen cibos sumit non nisi salubres, et sibi quidem concoctu faciles.

Lucanus
in parafr.
Quinctil.
lib. 2. c. 18.

Lucret.

Quid vero Scholastici nostri, quidnam? Versantur in literarum studijs, quae pabula sunt animorum nostrorum, et omnia quae scitu digna, quae *πρὸς τὸν βίον ἔχρησται* summa cura et diligentia addiscere conantur, ita quidem: ut homines literatos *παμφάγους* dicere jure possimus.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimus aurea dicta.
Aurea perpetuam semper dignissima vita.

Vete-

Veteres hominem maximum naturæ miraculum & rectè quidem esse dixerunt. Multa sunt in hoc animali divino, in hoc totius universi vinculo, in hoc $\mu\epsilon\lambda\epsilon\pi\omicron\upsilon\sigma\mu\omega$, quæ logè captum nostrū superant: sed illud tamen maximè sapientissimos quosque reddit attonitos, quod in tam angustum anima nostra quasi vasculum res numero infinitæ, varietate dissimilimæ, difficultate intricatissimæ feliciter infundi possunt. Unde quidem non malè dictum esse videmus à Periandro, qui maximum in minimo aiebat esse bonam mentem in corpore humano.

Hic verò duo sunt, quæ obijci mihi posse videntur. Primum enim, inquiunt nonnulli, $\pi\epsilon\lambda\upsilon\mu\alpha\theta\eta\mu\omicron\sigma\omicron\nu\eta\varsigma$ $\epsilon\delta\epsilon\nu$ $\kappa\epsilon\upsilon\epsilon\acute{\omega}\tau\epsilon\pi\upsilon\alpha\iota\delta\omicron$: multa rerum cognitione nihil esse vanius: nihil inanius. Et vehementer probant illud Aristippi, qui verè doctum putat illum, non qui plurima, sed qui maximè necessaria didicerit. Et perquam esse multa, quæ nec scienti prosint, nec obsint ignorantibus. Verùm nugas agunt, hoc quicumq; dicunt, & cum larvis temerè pugnant. $\Pi\alpha\upsilon\Phi\alpha\gamma\acute{\iota}\alpha\nu$ & $\pi\alpha\mu\mu\alpha\theta\iota\alpha\nu$ hanc nostrā non de reb. quæ exiles, minuta, futiles & inutiles, intellectam volumus, sed de iis saltem, quarū fructuosa cognitio, & homini liberali digna. Arenas metiri, terebrare milium, fluctus numerare, agrum sterilem colere, $\alpha\upsilon\epsilon\lambda\epsilon\iota\alpha\varsigma$ & $\lambda\epsilon\pi\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$ infrugiferas consecrari velle, & stultum, & supervacaneum, & indignationis plenum esse non negamus. Sed excipiunt: singulos singulas artes & disciplinas, quibus dent operā, diligere sibi debere, quod & in opificiis receptum sit, & apud exteros fieri consueverit, & olim non nemini Philosophorum probatum fuerit. Neque rem hanc sua ratione carere, cū, quod inquit Xenophon, impossibile sit, unum & multa simul & omnia rectè facere. Verùm hanc consuetudinem uti multi sunt qui magnificiunt, ita ingenio-

Vives lib. 1.
de veritate
fidei.

Stob. ser. 3.

Athen.
lib. 13.

Lact. in
Arist.

Ecclaf. 1.

Lib. 8. pzd.

rum nostrorum aviditas, & artium cognatio, & horum temporum consuetudo ferre non videntur. Et virum doctum, si πένταθλον & quinquertionem, hoc est, rerum omnium peritum esse volumus, earum saltem disciplinarum, quibus se totum addixit, cognitionem accuratam exigimus. Aliarum si συνοποποιίας & systemata, quae vocant, animo complectatur suo, non est quod magnoperè in ipso desideremus. Sic igitur & hac in parte de cepis queritur, & de aliis respondetur: quam ἐπεγύεσθαι omitemus jam, & ad paucula quae habemus reliqua delabemur.

VII. Vulpes cervos fugat, Scholastici homines cervinos.

Albertus.

Vulpecula gannitu suo cervum animal illud & ramosis armatum, cornibus & corpore validum, & cursu perniciosissimum, terrere & abigere dicitur.

Eundem admodum Scholastici suis in xystis & ambulacris, in hortulis & vivarijs, in paradisis & viridarijs, in arbustis & sylvulis nihil minus ferre possunt, quam homines, qui, quod est apud Homerum, caninos habent oculos, & cor cervinum, h. e. invidos, stolidos, superbos, ignavos fugaces & timidos. Eruditorum seu Musarum janua minimè sunt invida, sed ijs omnibus qui vel docendi vel discendi causa veniunt, aperta. Scholastici hoc agunt unum, ut omnium vitiorum, sed imprimis tamen stulticiae eradant elementa, & animos sapientia studijs informent. Literati cum Socrate hoc unum sciunt, quod nihil sciant, & hanc modestiam omnis doctrinae fontem & principium esse norunt. Liberalium disciplinarum studiosi

laborum

1. Iliad.

Zenodotus
Erasmus.

Horat. lib. 3
oda. 24.

Laert.

laborum patientissimi sunt, & nihil non modestia devorare possunt.

Qui cupit optatam studiis contingere metam

Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit.

Nihil est mali, quod literis imbutos de statu dejicere suo, & in fugam agere possit. Non perturbationum violentia, quas primis ab annis edomare, & reprimere didicerunt. Quid enim aliud est virtus nostra, quam moderatio affectuum, & temperies vitiosarum cupiditatum?

Non corporis vel deformitas, vel imbecillitas, cum animis pulcherrimi sint & valentissimi.

Non contemtus & ignominia, cum secum ipsi gloriam ferant suam, nec nisi conatum & consiliorum honestissimorum sibi sint conscii.

Non inopia & egestas, cum ditissimi sint, quâ animi, qui boni consulit presentia, frugalitatem, quâ rerum necessariorum, quas invenire sibi facillime queunt, mediocrem abundantiam.

Non potentiorum offensiones, ira, odia, & minæ, quibus plerumque calumnia dat initium, & superba credulitas incrementum. Sciunt enim non in omni tonitruo nubes scindi, neque semper fulmina deferri, aut si mittantur, haud raro esse bruta, inania, ventosa. Sciunt omnes & hycophantas, & tyrannos nubeculas esse citò transiuras.

Non fuga & exilium, quibus sæpè mala gravissima declinantur, neque raro tantum felicitatis paratur, ut cum Themistocle letabundi dicere possint: perijsemus, nisi perijsemus.

Quin &

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,

Ut volucri vecuo quidquid in orbe patet:

Horat. in
arte.

Plut. in
Them.

Ovid. i.
Fast.

Cicer. 5.
Tusc.

Quam eandem in sententiam Teucer patriam ait esse ubicun-
que bene sit: nec male Socrates cum rogaretur, cuiatem se esse
diceret? Mundanum, inquit. Totius enim mundi se incolam &
civem arbitrabatur, id quod nostri quondam majores venu-
stissime hoc extulere proverbio: Biedermans erbe ligt in
allen Landen.

II X. Medicamenta quæ à Vulpeculis, & Scholasticis.

Am ad medicinam faciendam quid
Vulpecula conferat multis poteramus ostendere, nisi
temporis angustia festinationem nobis & brevita-
tem imperaret. Decoctum vulpis in oleo & reliqua corporis
partes podagra, artbritidi, paralyfi, calculo, & asthmatis, ut
alia propè infinita prateriam, certò moderi perhibentur.

Gefn. va-
riis è scrip.

2. Tusc.

5. Tusc.

2. Tusc.

De claris
orator.

Neg. verò minus liberales disciplina, & maxime quidem
Philosophia moralis medicina est & cultura animorum, inda-
gatrix virtutum, expultrix vitiorum, qua sollicitudines de-
trahit, cupiditatibus liberat, pellit timores, mater omnium
benefactorum, beneque dictorum. In œconomicis si quid dog-
maticas inter parentes & liberos, dominos & servos, uxores
& maritos suboriat, id omne bona litera, si adhibeatur ma-
ture, corrigunt, & justam ad temperiem reducunt. Si quid in
Rebus publicis κακογυίας, quæ exitium toti corpori erat alla-
tura, se prodat, eruditio, & prudentia scholastica, quæ virtu-
tes & ἀγαθὰς & πειθαρχίας præscribit, id feliciter ex-
haurit, & spiritus simul ac humores
pristinæ concordie re-
stituit.

IX. A Vul-

IX. A Vulpeculis vestimenta : à Scho-
lasticis utilitatum varia
genera.

Vulpecula pellis, & in primis cauda, quæ
maximè villosa, cum vestimenta nobis suppeditat,
tum ornamenta subministrat. Ut enim in edificiis
& publicis & privatis, ut in omni artium & opificiorum ge-
nere, ut in victu & alimentis, ita in cultu quoque corporis sem-
per non tantum necessitatis, sed etiam dignitatis pulchellæ &
voluptatis licite ratio est habenda.

Falsus sum, si non longè plura & majora beneficia bonæ li-
terulæ, quas ordo scholasticus profitetur, omnem in vitam
effundant. Omnis philosophia frugifera est & fructuosa, nec
ejus ulla pars inculta & deserta. Hæc nos ad Dei cultum, hæc
ad jus humanum, quod in societate situm, hæc ad modestiam,
& magnitudinē animi nos erudit: hæc ab animis tanquam
ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima
ultima, media videremus. Philosophia urbes peperit, dissi-
ptos homines in societatem vitæ convocavit, interque se primò
domiciliis, deinde conjugijs, tum literarum ac vocum com-
munionē junxit. Philosophia inventrix est legum, magistra
morum & disciplina, vitæque tranquillitatē largita nobis est,
& terrorem mortis sustulit. Tum demùm beatæ sunt futura
civitates, si eas aut philosophi regant, aut qui regunt, phi-
losophentur. Artes reliquæ neque temporum sunt, nec
atatum omnium, neque locorum: Philosophiæ studia
(quæ more veterum omnem eruditionem complectuntur)

Cic 3. off.

1. Tusc.

5. Tusc.

Plat. ad
Dionis
propin-
quos.
Cicer. ad
Q. fratrem.
Pro Ar-
chiâ.

adole-

adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perſugium & ſolacium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

Gell. lib.
16. cap. 13.

Haec verò bonarum literarum utilitates non tam in principijs, quàm in poſt principijs, quod olim Varro dicebat, apparent, & uti radices amariffimas habent, ita fructus dulciſſimos & ſaluberrimos abundè pariunt.

Hæc beneficia quandoquidem publicè nos, & privatim tegunt, operiuntq; cum veſtimētis, quæ corporis ſunt oneramenta non abſurdè conferuntur.

X. Vulpem necant amygdalæ amaræ,
Scholaſticos opinionum & morum amarities.

Verum ad finem, qui jam proximus nobis, contendendum haud aliter, quàm lapides, qui quo terris propiores ſunt, eò celerius feruntur.

Plut. libr. 1.
Symp.
quæſt. 6.
Sefn. ex
Avicen.

Vulpecula ſi amygdalas amaras eſitet, niſi lambat aquam continuo fertur emori, cum illarum ſiccitas omnem humorem exhauriat & depaſcat. Non minus Scholaſticos ſua de ſalute periclitari certum eſt, ſi opinionum & morum amarore inſciantur, niſi continuo puras & vivas veritatis & virtutis aquas avidè bibant, quibus hoc quidquid eſt veneni, eluitur & ſubducitur. Opinionum acerbitatem vocamus omne genus errorum, quod rei & privatae noxium, & publicæ pernicioſum. Cum enim veritas quod ſupra dictum,

cauſa

causa bonorum sit omnium, & Dijs & hominibus: quinam
 quaso non exitiosa, non pestifera, non davato Pogg. mendacia
 esse possunt?

Morum amarorem vocamus omne vitium, nec id
 quidem incommodè, cum virtute nihil sit jucundius, nihil
 dulcius, nihil mellitius, nihil amabilius. Omnis itaque mali-
 tia & improbitas, omne flagitium & delictum, quid nam,
 aliud, quam bilem & choleram, quam chamedaphnen &
 absynthium esse dicemus? Hæ igitur non minus Schola-
 sticos, quàm amygdalæ vulpeculas extinguunt, suffocant,
 perdunt.

XI. Vulpeculæ ægrotanti medicina re-
 sina, Scholasticis quies & ab-
 stinentia.

PRæter hanc Thasia nucis offensam, &
 alijs quibusdam morbis Vulpecula tentatur, quibus
 resina, quam fluentem è pinu lambit, opportune
 medetur.

Scholasticorum verò, quæ amuleta sunt, si incom-
 modius quàm corpus, quàm animum valeant, quæ medica-
 menta, quæ antidota? Illa verò numero plurima sunt, quæ ta-
 men recensere velle, nimis tædiosum erat futurum. Sed ma-
 ximè tamen illa, quæ habet Celsi regula, hoc est, quies & absti-
 nentia à laboribus, à curis, à perturbationum violentia, &
 deniq; ab ijs omnibus quæ corpus debilitant, & animi tran-
 quillitatem interturbant.

Multò plures hujus collationis inter Scholasticos & Vulpeculas dare gradus poteramus, Auditores, sed contrahenda vela sunt, & manu ferendum non toto sacco.

Quies in omni opere dulcis est, satietatem enim habet mel, & jucundi flores amoris, quod ait Pindarus ode 7, in Nem. Hoc unum si coronidis loco addidero, patientia vestra abuti desistam.

Vos adolescentes optimi, vos & monitos & rogatos volo, ut in ea, qua jam percensuimus, toto pectore incumbatis, & ijs quas dixi virtutibus operam navetis sedulo, quod si alacriter & constanter feceritis: ego vobis spondeo & meam interpono fidem, in vestra potestate quondam leones, ursos, apros, bubalos, equos, aquilas, gryphes, & omne genus grandiorum animantium, hoc est, summos reges, & principes esse futuros, quos si vestris consilijs & obsequijs ad Imperatoris summi, qui coelum & terram nutu suo temperat, observantiam, ad amorem subditorum, ad equitatem & moderationem, ad Ecclesiarum curam, ad denique totius populi salutem & incolumitatem duxeritis, in aeterna futuri estis gloria, & nominis vestri memoriam immortalitati nunquam desitura consecraturi.



CONCLUSIO.

Dixi quæ potui de Vulpeculis Icholasticis, in quibus si quæ minus vobis probata fuerint, illa mihi assignabitis: si quæ verò putabitis, auditu fuisse digna, ea omnia debitâ cum animi gratitudine Illustri & generosissimo Domino D. HEINRICO RUTHENO, cujus ego jussu feci, quidquid feci, accepta referetis.

*Dii patrii quorum sub numine tuta quiescit
Gens studiis operata sacris, quæ dedita castis,
Principibus dilecta viris, agit ocia Musis:
Non tamen omninò querulas delere paratis
Litterulas, nostræq; scholas apiaria vita,
Cum tales animos, & tam generosa tulistis
Pectora magnorum procerû, qui divite curâ*

Exci-

Excipiunt profugas tectis, mensaq; Camœnas,
Ad tumidas Albis ripas, ubi vortice multo
Aonias contorquet aquas, Salaq; vireta
Gemmea, quâ liquido raucas secat agmine
valles,

Et gemino biferi, qui fonte superbit, Elistri.
Quæ vobis, qua digna, viri, pro talibus ausis
Præmia posse reat solvi? pulcerrima primum
Dii moresq; dabunt vestri, tum cætera reddet
Posteritas, sacro qua proluit ora liquore.
Hæc vestras recinet laudes, serasq; futuros
Carmine perpetuo trāsmitet adusq; Nepotes.

F I N I S.

